UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Tribvs Dagobertis Francorvm Regibvs Diatriba Godefridi Henschenii E Societate Iesv

Henschenius, Godefridus

Antverpiae, 1655

urn:nbn:de:hbz:466:1-9599

Visual Library

Th. 2316.

RIV
7

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE TRIBVS

DAGOBERTIS

FRANCORVM REGIBVS

DIATRIBA

GODEFRIDI HENSCHENII

E SOCIETATE IESV.

Ex legato Celm Principis Eccln. Spi Paderb. et Monaster. Ao 1683.

In quâ horum Regum ac successorum genus, tempus, acta indicantur: DAGOBERTO II, S. Sigeberti filio, regnum Austrasiorum vindicatur, & Chronologia ex Conciliis & Episcoporum gestis illustratur.

Collegij Societ. IESU Paderb.

ANTVERPIÆ,
Typis IACOBI MEVRSII,
Anno CIↃIↃCLV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DIATRIBA

FRANCORUM REGIBUS

DACOBERTIS

DE TRIBUS.

SERENISSIMO LEOPOLDO GVILIELMO,

AVSTRIÆ ARCHIDVCI, BELGII BVRGVNDIÆQVE PRO REGE CATHOLICO GVBERNATORI.

DVm Francorum irrequieta tot iam annis, SERENISSIME PRINCEPS, *illustri sapientiæ ac fortitudinis laude, arma sustines ac repellis; eorum prisci duo Reges in* TVÆ CELSITVDINIS *conspectum velut rediuiui aduenêre :* CHILDERICVS *nuper, Chlodouei* I *parens; modò* DAGOBERTVS,

S. SIGEBERTI *filius, Dagoberti* I *nepos. Illius reſſum Tornaci cadauer: huius nomen ac regni decus, ingratâ mille propè annorum obliuione conſepultum, in lucem poſtliminiò prolatum. Vterque in Belgicâ natus: primâ* DAGOBERTVS; *quam totam ac ſecundæ partem, & Germaniam vtramque, ac trans Rhenum ſitas prouincias imperio rexit.* CHILDERICVS *ſecundam Belgicam, vbi editus in lucem erat, ferè omnem tenuit, & primæ partem, Celticæq́, prolato ad Ligerim regno. Verùm is in alienas ditiones præter ius faſq́ inuadebat. Nemo enim eſt, qui ignoret, Francos Salios in eâ primùm Belgij plagâ, quæ Brabantia nunc appellatur, iuxta Toxiandriam-locum, oppidumq́ Dieſthemiũ, precariò ſedes obtinuiſſe à Romanis: dein velut aſpidem in ſinu fotam, in ipſos Romanos Aboriginesq́ impetum feciſſe, ac ſenſim proxima quæque bello populatos.* DAGOBERTVS *autem, poſtquàm aſſenſione populorum, Pontificis Romani auctoritate, Imperatorumq́ Orientis approbatione, Francis erat regnum Galliæ pridem confirmatum, hæreditario iure, patris auiq́ ſucceſſor, etſi quàm illi*

minùs

minùs latè, regnauit, haud tamen angustiùs CHILDERICO.

Expulsus à suis DAGOBERTVS *ac* CHILDERICVS: *hic ob effrænem lasciuiam, quâ etiam ingenuis Virginibus promiscuè vim afferebat. Licet enim (vt Saluianus Massiliensis testatur) perfidiosa esset iis temporibus gens Francorum, casta tamen erat: vsque adeò vt ne in Rege quidem immodicam illam libidinem passa sit.* DAGOBERTVS *autem Procerum quorumdam regno inhiantium fraude, innocenti pietate, penè puer attonsus in Clericum est, & in Hiberniam deportatus, Diuino cultui consecrandus.* CHILDERICVS *cùm etiam ad eadem designari se sentiret, in Thuringiam ad Bisinum Regem profugit. At neque hospitij reuerentia illic impuritates eius coërcuit, vt non regalem thalamum adulterio violaret.* DAGOBERTVS *autem sanctissimis Scotorum institutis ad omnẽ morum honestatem ac pietatem præclarè est exilij tempore informatus.*

CHILDERICVS, *VViomadi cuiusdam operâ, placatis paullatim Francorum animis, reuersus in regnum est: parte tamen eius aliquamdiu conten-*

tus, quoad Ægidius vixit, quem, licet Romanum ac Christianum, sed militiæ peritissimum, Franci Regem sibi adsciuerant. Reuocatus ab exilio est DAGOBERTVS, *studio præcipuè Imnechildis matris, piissimæ prudentissimæq; Reginæ, cuius quoque illustre olim pluribus benefactis nomen, sed nescio quâ fortunâ propè oblitteratum, in lucem restituimus.* De Hibernià DAGOBERTVS, *vti V. Willelmus Malmesburiensis lib. 3 de gestis Pontif. Angl. auctor est, ad S. VVilfridum Archiepiscopum Eboracensem* venit, *qui eum* hospitio recepit, & equis sociisque adiutum, patriæ remisit. *Ibi ille in paterni regni est portionem à Childerico patrueli suo, Chlodouei II filio, admissus.*

Bella exinde non pauca gessit CHILDERICVS: *& fortassis hominum illorum iudicio, qui veram nullam, nisi partam sanguine, gloriam agnoscunt, hac vnâ re* DAGOBERTO *superior habebitur. Nec iste tamen operum militarium expers fuit, etsi vacare pacis artibus mallet, subditorumq; populorum consulere tranquillitati: sed reprimere suum in regnum irrumpentem, cum crudelissimo Maiore-Domus Ebroino, Theodericum, patruelem itidem suum, coactus est.*

Res

Res vna est, quam iure laudare in CHILDERICO *liceat, quòd, quamuis Paganus, Christianos tamen bello victos, suis vti palàm legibus, Antistites sacra obire, sacerdotiorum prouentibus frui religiosos homines, passus est: quo pacto id euicit ipse, & filius eius, vt in vnum tandem populum Franci Romaniq; & Galli coalescerent. Quid, quòd sanctimoniæ famâ celebres homines suspiciebat ac honorabat, vti est à nobis in S. Genouefæ Virginis Vitâ ad diem* III *Ianuarij commemoratum? Illustrior hoc in genere* DAGOBERTI *laus fuit, qui & colebat ipse castè sancteq; pietatem, & ad eam ceteros inuitabat, pluribus lautè fundatis religiosorum hominum domiciliis, erectis aut locupletatis Episcopatibus, liberaliter acceptis hospitio viris sanctis, qui aliunde in eius regnum aduentabant, nonnullis etiam, vt apud se domicilium figerent, inuitatis, adhibitâ quoque curâ, vt ad Frisones diuini Euangelij præcones mitterentur.*

Fortunatus, inquiet aliquis, CHILDERICVS, *qui stirpem reliquit, & gloriosam illam quidem. Fateor: è Basinâ, quæ libidine amens, relicto marito Thuringiæ Rege, ad eum vltro venerat in Galliã,*

Chlodo-

Chlodoueum suscepit, dignum qui honestiori thoro nasceretur: quippe qui Christiana demum sacra complexus, ac legitimus Galliæ Rex declaratus, ad limitem vsque Hispaniarum dominatum, pulsis Aquitaniâ Gothis, extendit, Alamannos vicit, Ripuarios Francos (non tamen absque paricidij scelere) subiugauit. Quantò sors DAGOBERTO beatior! Liberos is plures suscepit, sed sanctè. Qui omnium decursus vitæ fuerit, indagamus. Sanctorum virorum precibus adolescentulus filius vitam, valetudinem filia recuperauit. Ita Superis cara iam tum erat optimi Regis progenies. Filia alia S. IRMINA illibatam cælesti sponso virginitatem deuouit, in Horreensi parthenone, quem illa suis facultatibus ac patris construxerat, dotaratq; ita amplè, vt vigeat etiamnum opibus sanctâque disciplinâ. S. IRMINÆ soror ADELA, & ipsa Sancta ac Beata nuncupata ânonnullis, GREGORIVM nepotem ita educârat formaratq; ad virtutem, vt in ipso adolescentiæ flore S. Bonifacio Apostolo Germaniæ sese comitem vltro iunxerit, sitq; & ipse Cælitum deinde honores consecutus. Potestne honoratior cuiquam Regi posteritas obtingere?

Demum

Demum sepultus est DAGOBERTVS *Rotomagi, Christianâ magis pompâ, quàm regio luxu, forsan etiam posteà translatus aliò, & honorificentiori conditus tumulo, atque, vt suspicari non temerè licet, consecrata eius diuinis honoribus ad aras memoria est.* CHILDERICVS *auitis superstitionibus immortuus, Regũ barbarorum ritu Tornaci tumulatus est, cum vario armorum ac cimeliorum apparatu. Reperta hæc vnà cum corpore, dum Tu,* SERENISSIME PRINCEPS, *Belgium Maximi Regis auspiciis tueris ac gubernas, Tibi vt ist hæc vetera ornamenta, & Belgij quondam Celticaq; spolia, secundissimo auspicio, oblata ab antiquo illo bellicosissimo Galliarum domitore videantur. Rediuiuus itidem adest* DAGOBERTVS, *nullius egens ad splendorem sepulchralis apparatus, cuius sumptu constructa tot olim ampla & operosa templorum ac monasteriorum extant etiamnum, ad gloriam eius sempiternam, ædificia. Huius à me nomen, & (si fas ita loqui) regnum refossum est: non, vt* CHILDERICI, *ex ruinosæ domus disiectis fundamentis, sed ex Sanctorum Actis, VVilfridi præsertim ac Salabergæ Abbatissæ. Illi nempe anno* IↃCLXXX, Epi-

scopatum Strateburgensem, *quem Tu nunc,* SERENISSIME PRINCEPS, *feliciter administras, obtulit* DAGOBERTVS Rex Transrhenanorum Francorũ. *Idemq́, vt in S. Salabergæ Actis narratur, aduersùs Theodericum Regem in Austrasiæ Burgundiæq́, finibus bellum gessit.*

Vsque adeò Sanctorum virtute sustentatur regnorum salus, vt non modò viui calamitatem à populis ac Principibus precibus suis ac benefactis auertant, iis Numen propitient, vtrosque salutari doctrinâ excolant, suisq́, exemplis ad piè viuendum extimùlent; mortui autem eos patrocinio tueantur, morbosq́, ac cetera humanæ vitæ mala auertant; sed nuda ipsorum Acta vitam Regibus ipsis, regnis vetustum splendorem, restituere videantur. Certè nesciremus, qui ante CIↃCC *annos* AVSTRIÆ *Vestræ, quod tunc Noricum Ripense dicebatur, status fuerit, nisi S. Seuerini, qui iuxta Viennam vrbem habitauit, Vita à coæuo auctore scripta extaret.* CAROLVM V, *omnium seculorum sapientissimum, non modò fortissimum, Imperatorem, aiunt, quorumdam irridentem interminatas genealogias, dicere solitum, nolle se, vt altiùs, quàm à* RVDOLPHO

Habsbur-

Habsburgico suæ stirpis origo repeteretur; quem cõstaret generis claritudine, scientiâ militarium artium gerendaq́ Reip. longè celeberrimum, ideò ad Imperij Romani gubernacula euocatum, ab eo deinceps intaminata omnia plenaq́ gloriæ. Vereri se, ne si retro quis vlteriùs tendere velit, fabulas admisceat, atque optimè nata dedecoret. Tamen ex S. Deicoli Abbatis Lutrensis editâ à nobis Vitâ, multa de ipsius RVDOLPHI *antiquissimis maioribus eruerunt Hieronymus Vignerius, & Ioannes Iacobus Chifletius, viri clarissimi; hic in Stemmate Austriaco, ille in Genealogiarum publicam in lucem dato volumine. Quàm multi nunc in tenebris atque æternâ iacerent nocte, ac sine nomine, Reges, nisi in Sanctorum Actis eorum fieret mentio, quæ nulla alibi extat! Sanè qui nostrâ ætate antiqui temporis historias scripsêre, pleraque ex Actis Sanctorum hausêre. Ipsi etiam Heterodoxi, licet adeò non honorent Sanctos, vt etiam ijs cultum deferentes irrideant; Acta tamen eorum sæpe ad antiquitatis illustrationem afferunt.*

Eapropter fore confido, SERENISSIME PRINCEPS, *vt, qui* CHILDERICVM *ita auidis oculis, ma-*

 nibus,

nibus, animisq; suscepisti; vt, quæ de illo ab viro eruditissimo scribebantur, singula, priusquàm typis mandarentur, recensueris studiosè, Tuoque calculo comprobâris; DAGOBERTVM *quoque nostrum solitâ Tuâ facilitate in Tuum conspectum venire patiaris. Idq; tantò æquius est me sperare, quòd Diœcesis Argentoratensis Tua, reliquaq; Alsatia, vetusta Augustæ Vestræ Domus possessio, plurimis huius* DAGOBERTI *monumentis est condecorata: quorũ pleraque erant ad auum eius Dagobertum* I, *quædam ad Theoderici patruelis eius atque aduersarij nepotem, Iuniorem Dagobertum, translata. Nos ei, cuius sunt propria, ex veteribus diplomatis Actisq; Sanctorum aliorum redhibemus. Atque vtriusque illius Dagoberti, vt certiùs nostro illi Austrasio decus suum constet, res gestas seriemq; temporum, quibus regnauêre, exponimus. Plurimorum etiam Episcoporum atque Episcopatuum antiqua ornamenta è ruderibus, quibus erant nonnullorum scriptorum imperitiâ obruta, euoluimus. Tuæ certè* SERENISSIMÆ CELSITVDINIS *Episcopatum Argentoratensem Franciscus Guillimannus, integro volumine*

de

de eius Antistitibus vulgato, Patruoq; Tuo, tunc quoque Argentoratensi Episcopo, LEOPOLDO AVSTRIACO dedicato, affirmârat Dagoberti I temporibus esse fundatum, primumq; ei præsedisse tunc S. Amandum à Traiectensi Sede euocatum. Verùm isthic trecentis minimùm annis priùs sanctos sedisse Episcopos ostendemus. Aliarum quoque Ecclesiarum antiqua decora, præsertim quæ ad seculum Christi septimum atque octaui initium spectant, illustramus. Hoc apparatu comitatuq; in conspectum venire TVÆ CELSITVDINIS gestit DAGOBERTVS hic noster, nec, vt placeat, aliis se cimeliis putat egere. Probatum iri autumat apud pium ac sapientem PRINCIPEM, quod ex illo diuite sacroq; armamentario profertur: è Sanctorum, inquam, Actis, quæ à nobis iam edita in lucem, adeò non contemni à TE nouit, vt etiam cùm fatigatum TE bellicis laboribus curisq; valetudo aliqua aduersa detinet, ea TIBI prælegi mandes; potissimùm præsidalia Martyrum Acta, quæ à Notariis olim excepta, transmissaq; ad posteros sunt. Quamquàm in aliorum etiam gestis

Sanctorum, præter eximiæ pietatis virtutumq; aliarum exempla, ineſt etiam ille, quem diximus, fructus, vt veterum Regum ac Principum nomina ac res geſtæ innoteſcant, aliis neglectæ ſcriptoribus, aut cum ipſis ſcriptorum monumentis abolitæ.

At ſi non eâ, quâ Anaſtaſis Childericiana, vel ſtyli puritate, vel typi elegantiâ, vel ectyporum nitore comptus ornatuſq; hic rediuiuus Rex videbitur, CELSITVDINEM TVAM *orat, vt meminerit horridiore aliquantò cultu amictum prodire, qui adoleſcens ſeuerâ Scotorum eruditus fuerit diſciplinâ, atque eâ vixerit tempeſtate, quâ minùs excolebantur bonæ litteræ: quare hîc quoque ex vetuſtis ferè diplomatis aut conſimilibus monumentis conſertâ oratione prædicatur.*

Illud ego ad extremum ſupplex precor, vt idem ille religioſiſſimus Rex, Cælitibus, quod minimè dubium eſt, additus, cum ſanctâ filiâ IRMINA *ac pronepote* S. GREGORIO, *præſertimq; ſancto parente* SIGEBERTO, *Auſtraſiæ itidem, & proinde maximæ partis Belgij, quod feliciter pri-*

dem

dem moderaris, Rege, patrocinio TE *suo diu incolumem ac fortunatum conseruet. Ita voueo Kalendis Januarij* CIↃIↃCLV

SERENISSIMÆ CELSITVDINIS TVÆ

Deuotissimus cliens

GODEFRIDVS HENSCHENIVS
è Societate IESV.

INDEX CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

DAGOBERTVS I *Rex Francorum.* pag. 1

I EPocha annorum ab ortu Christi seriùs ad ordinandam Chronologiam adhibita. Priscis temporibus, inscienter à posteris inserta. *pag.* 3

II Epocha veterum Francorum per annos Regum distincta; non Pontificum Romanorum, Imperatorum externorum aut Indictionum. Epocha eadem characteribus historicis in progenitoribus DAGOBERTI I firmata. 9

III Discrimen vnius anni in successione filiorum Chlotharij I inter Gregorium Turonensem & Fredegarium. Annus obitus S. Gunthramni, Childeberti & filiorum Theodeberti & Theoderici. Monarchia Chlotarij II patris DAGOBERTI I: huius infantia. 16

IV Tres gestorum Regis DAGOBERTI scriptores præcipui, Fredegarius, Monachus S. Dionysij, & Aimoinus. Eius adolescentia, regnum Austrasiorum, & coniugium cum Gomadrude. 21

V Gesta Dagoberti post matrimonium initum apud Austrasios. Wormatiensi Ecclesiæ donata. Quid Argentoratensi & Spirensi ab eo præstitum. 26

VI Regnum Neustriæ & Burgundiæ DAGOBERTO delatum. Pars Aquitaniæ Chariberto fratri permissa. Sedes regni primis annis apud Austrasios. Epocha regni Austrasio-

ſtraſiorum. Sclaui & Auares. Illorum Rex Samo an ex Belgio oriundus? 35
VII Sedes poſteà DAGOBERTI vrbs Pariſiorum. Gomadrudis repudiata. Nanthildis aliæque Reginæ & concubinæ adſcitæ. Filij S. Sigebertus & Chlodoueus II. Regnum Auſtraſiorum S. Sigeberto datum. 37
VIII Maiores-Domus DAGOBERTI B. Pippinus & Æganes, Referendarij, ſeu Cancellarij, Godefridus, Henricus, Chrodobertus, S. Audoënus. Monaſterium S. Dionyſij dotatum. Primi illius Abbates. Diplomata diſcuſſa. 42
IX Obitus DAGOBERTI Regis. Chronologia ſtabilita. Auctorum quorumdam errores indicati. 47
X Anni regni Chlodouei II filij DAGOBERTI. Chronicon Fredegarij finitum anno IↃCXLVII. Hiſtoria Francorũ iuſſu Childebrandi Comitis ſcripta, ab anno IↃCLXXXVII inchoata. Defectus XL annorum in Annalibus antiquis quomodò ſupplendus. 50
XI Chlothario III anni regni XIV vindicati, ab anno Epochæ vulgaris IↃCLXII ad IↃCLXXVI. Anni regni DAGOBERTI, illius aui, confirmati. 54

LIBER SECVNDVS.

DAGOBERTVS II *Rex Auſtraſiorum.* 61
I DAGOBERTI II parentes S. Sigebertus & Imnechildis. Illius obitus. Exilium DAGOBERTI. 63
II Reges Auſtraſiorum Childebertus intruſus, tum Childericus ſub tutelâ Imnechildis amitæ, matris DAGOBERTI. Huius ab exilio reditus, & regnum in Alſatiâ & cõfiniis. An in Thuringiâ habitârit? 67
III Pacificè regnatum à patruelibus DAGOBERTO in Alſatiâ & trans Rhenum, Childerico in reliquâ Auſtraſiâ. Huius coniux Bilichildis, ab Imnechilde matre DAGOBERTI diuerſa. Epiſcopi Argentoratenſes Anſoaldus & Rodha-

Rodharius. Monasteria extructa à SS. Deodato, Hildulpho, Arbogasto, Florentio. 73
IV Childericus Neustriæ Rex factus. Huius successor Theodericus. Ab Austrasiis assumptus Chlodoueus. Regnum DAGOBERTI in Alsatiâ. Aduentus S. Wilfridi Episcopi. 79
V Filius DAGOBERTI à S. Arbogasto Episcopo Argentoratensi ad vitam reuocatus. Varia à DAGOBERTO Ecclesiæ Argentoratensi & monasteriis Schutterano & Saraburgo donata. 83
VI Filiæ DAGOBERTI ope S. Florentij visus & loquela reddita. Kirchemium aliaque loca monasterio Haselacēsi attributa. 87
VII Regnū Austrasianum DAGOBERTI. Bellum in confiniis inter eum & Theodericum Regem Neustriæ & Burgundiæ. 91
VIII Diploma monasteriis Stabulao & Malmundario à DAGOBERTO anno IV regni Austrasiorum, Christi IↃCLXXXIV signatum. 95
IX Frisiorum ad fidem conuersio à DAGOBERTO Rege commendata Episcopo Colonienſi. Epistola S. Bonifacij de hac re ad Stephanum Papam. 102
X S. IRMINA Abbatissa Horreensis, filia DAGOBERTI II. Diploma fundationis Horreensis monasterij. 107
XI Beneficia à S. IRMINA filiâ DAGOBERTI præstita S. Willibrordo, potissimùm pro Epternacensi monasterio. 112
XII Horreensis Abbatissa post S. IRMINAM Anastasia, non S. Modesta. S. Chlodulphus Episcopus Metensis, non Treuirensis. 115
XIII Sepultura S. IRMINÆ apud Wissenburgenses. Hoc monasterium à DAGOBERTO dotatum. Alia monasteria à DAGOBERTO fundata aut dotata. 120
XIV Aliæ DAGOBERTI Regis filiæ. Palatiolum monaste-
rium

rium ab ADELA, viduâ fundatum. ALBERICVS huius filius, nepos DAGOBERTI, pater S. GREGORII Vltraiectensis, an etiam auus Alberici Episc. Vltraiectini? 127
XV DAGOBERTI obitus, & apud Rotomagēses sepultura. 131
XVI Chronologia regni Theoderici cum annis DAGOBERTI collata. Obitus S. Leodegarij Martyris & Ebroini Maioris-Domus. 135
XVII Regnum Austrasianum DAGOBERTI II probatum ex diplomate Theoderici Regis Stabulaō & Malmundario dato. Horum sub vtroque Rege Abbas S. Goduinus. Obitus Theoderici Regis. 140
XVIII Regnum Chlodouei III. Diploma datum S. Pappleno Episcopo, Abbati Stabulensi & Malmundariensi. 147

LIBER TERTIVS.

DAGOBERTVS III *Rex Francorum* 152
I PAter DAGOBERTI III Childebertus Rex. Huius regnum annis XIII terminatum. Subrogatur DAGOBERTVS adhuc puer. 154
II Suprema in Childeberti & DAGOBERTI regno præfectura Pippini. Huius coniux Plectrudis num repudiata? Illius obitus. 158
III Bellum sub DAGOBERTO inter Austrasios & Neustrios. Obitus DAGOBERTI. 164
IV Chilpericus Rex successor DAGOBERTI, filius Childerici Regis anno IↃCLXXIX occisi. Illius bella & obitus. Contra eum Chlotarius à Carolo Martello Rex creatus. Abbates primi Corbeienses. 167
V Theoderici vltimi regnum XVII annorum. An DAGOBERTO patre natus? Interregnum Caroli Martelli. 172
VI Childerici vltimi genus regni abdicatio. Regnum Pippino anno IↃCCL delatum. Theodericus filius Childerici monachus Fontanellensis. 175
VII S. DAGOBERTVS Sathanacensis Patronus Martyr habi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tus, incertum an regiæ stirpis. 179
VIII S. DAGOBERTVS Rex Francorum habitus, an filius S. Sigeberti? an DAGOBERTVS I? 184
IX S. DAGOBERTVS num filius Childeberti Regis? An Dux aliquis Francorum? 187

LIBER QVARTVS.

Galliarum Episcopi & Concilia, DAGOBERTORVM *Regum temporibus.* 193

I CONcilium Parisiense anno IↃCIV. Remense IↃCXXIV. Episcopi Vesontionenses, Bituricenses, Cadurcēses, Pictauenses, Lingonenses, aliique. Sedes Elusana translata. 194
II Concilium Cabillonense circa an. IↃCL. Episcopi Parisienses. 201
III Concilium Rotomagense anno IↃCXCIII. Archiepiscopi Lugdunenses & Rotomagenses. Primi Abbates Fontanellenses. 210
IV Episcopi Argentoratenses ab anno CCCXLVI per quatuor secula enumerati. Episcopi Moguntini, Wormatienses, Spirenses. 217
V Archiepiscopi Treuirenses. S. Hildulphi ætas inque Mediani monasterij regimine successores vsque ad seculum XI. 223
VI Episcopi Tullenses, Virdunenses, Metenses, Colonienses. 228
VII Episcopi Traiectenses ad Mosam. S. Lamberti exilium sub DAGOBERTO II, cædes sub Pippino Herstallo. 234
VIII Primorum Regum Principumque primæ & secundæ stirpis in eadem Traiectensi Diœcesi sedes. 241
IX Epilogus. Lectoris compellatio. 251

DE TRIBVS

DE TRIBVS DAGOBERTIS FRANCORVM REGIBVS DIATRIBA

GODEFRIDI HENSCHENII
E SOCIETATE IESV.

LIBER I.

DAGOBERTVS I.

QVoniam eò præcipuè ſpectat noſtra hęc commentatio, vt DAGOBERTVM II, S. Sigeberti Auſtraſiorum Regis filium, è tenebris, in quibus eum tot iam ſeculis iacere ingrata ſuſtinuit poſteritas, in lucem ac regnum paternum reuocemus; de DAGOBERTO I illius auo priùs agendum. Nam huic multa,

quæ nepotis erant, benefacta, insigniaque virtutum, scriptores tribuerunt. Vt quo fato olim, Francorum quorumdam Procerum ambitione ac dolo, deportatus in Hiberniam est, eodem posteà ex hominum memoriâ, ac multò etiam iniquiore, exturbatus videatur. Quod tamen fortassis non tam malitiâ æmulorum euenit, quàm posterioris ætatis turpissimâ inscitiâ: quâ factum, vt qui suas à DAGOBERTO Rege ædificatas Ecclesias fundataque monasteria legebant, cùm in Francorum, præcipuè Neustrasiorum, historiis, DAGOBERTI, illius aui, celebre nomen reperirent, eum esse fundatorem suum existimarint. Quo semel impliciti errore, partem magnam historiarum perturbauêre, ac fortassis nonnumquàm temporum notas diplomatis Regiis appositas corrigere, aut veriùs adulterare, ausi sunt: cùm istæ diplomatum subscriptiones, expressaque in iis tempora certissimam historiæ facem præferant. Quam qui sequi negligit, in illam maximi Oratoris meritò reprehensionem incurret, vt *non quidem re totâ, sed, quod maximum est, temporibus erret*. Quæ eadem Cæsaris Baronij tomo 1 Annal. ad an. Christi 70 § 3 sententia est: *Ex quo videas*, ait, *quod sæpius inculcamus, quantùm conferat in rebus inuestigandis temporis ratio, sine quâ interdum labi in portentosos errores*,

errores, necesse sit. Eâ potissimùm ratione modoque, vt sua DAGOBERTO Austrasio decora, quæ auo mendosè adscripta erant, redhibeantur, enitar. Non tamen rerum omnium, quæ gessit senior ille DAGOBERTVS, historiam pertexam, sed Chronologiam præcipuè eius temporis, quo Semptemtrionalis primùm Austrasiæ, dein plurium etiam prouinciarum ad id regnum spectantium, posteà Neustriæ quoque, ac demum totius Galliæ gubernacula tenuit, explicabo.

I

Epocha annorum ab ortu Christi, seriùs ad ordinandam Chronologiam adhibita. Priscis historiis inscienter à posteris inserta.

HIstoriæ neruus Chronologia est, siue temporum, quibus, quæ narrantur, res gestæ, explicatio. Hæc certis adstringi distinguique notis, minimè obscuris, solet. Græci Olympiadas, Syri ac Palæstini post tempora Alexandri Magni annos regni Græcorum, Romani Vrbis conditæ numerauêre: alia gentes alię lapsi temporis signa posuêre. Annos Christi nunc ad eum temporis computum adhibemus: eaque ratio confirmata iam vsu nouem seculorum, paulloq; amplius, priscis etiam temporibus ad ipsum vsque Christi natalem aptatur, non absque maximis tamen difficultatibus. *Æram vulgarem, communemue Epocham* appellamus. Eius principium

ducitur à *Kalendis Ianuariis, C. Cæsare & L. Æmilio Paullo Coss.* anno Iuliano XLVI, Vrbis conditæ secundùm computum Varronianum IↃCCLIV. quem qui præcedit annus Christi incarnatione ac natiuitate vulgò illustris habetur. Hanc Epocham Baronius in Annalibus biennio præuertit, inchoatque *Augusto Cæsare* XIII & *M. Plautio Siluano*, & huic suffecto *C. Caninio Gallo, Coss.* anno Iuliano XLIV, Vrbis conditæ IↃCCLII. Ne tamen perpetuò in contextu Annalium à vulgari calculo dissideret, in eorum progressu annos sex imperij Probi ad quadriennium contraxit, & duo paria Consulum alibi prætermisit. Hoc ergo Epochæ vulgaris initium, communi vsu receptum, retinendumque (ni perpetuò nos, ac præcipuè lectorem, in molestissimas coniicere tricas velimus) quocumque demum anno natus fuerit Christus, seu qui Iulianum XLVI, vt diximus, immediatè præcessit, seu biennio antè, vt statuit Baronius, siue etiam quadriennio, vt Ioannes Deckerius ac Dionysius Petauius, aliique.

Verùm eâ Epochâ minimè vsi antiquiores: nec ferè, quę manu exarata extant antiquissima Chronica, Eusebij, Hieronymi, Prosperi, aliorumque veterum, annos Christi adnotatos habent. Adscripti margini sunt à posteris, prout cuiusque captus erat. Quare alios exhibet editio Scaligeri, Pontaci alios, ac Miræi & ceterorum. Idatius certè dum priora illa Chronica continuat, admonet, *ne anni Olympiadum turbentur*, se *annum eumdem* scribere *& Theodosij Magni vltimum & filiorum Arcadij & Honorij primum*: silet de annis Christi, qui si in vsu tunc fuissent, æquè, ne turbarentur, cauere debuisset. Et verò si quam Christi Epocham statuissent Eusebius, Hieronymus, Prosper, Marcellinus Comes, ac reliqui veteres, à Christi baptismo ac prædicatione, aut passione siue resurrectione exorsi eam essent, vt ex eorum Chronicis

nicis potest fieri coniectura. Quam Epocham à passione aut resurrectione ductam Gregorius Turonensis in Historiâ Francorum sub finem librorum 1, 3, & 10, Fredegarius in Historiâ Epitomatâ cap. 73, Victor Tunenensis in fine Chronici, Auctor Historiæ Francorum iussu Childebrandi Comitis scriptæ, & Chronico Fredegarij subnexæ, cap. 109, confundunt cum eâ, cuius à Christi natiuitate statui primordium debuisset, vt legenti perspicuum est. Quæ res clarè innuit, necdum illo tempore viguisse consuetudinem annos à Christi natiuitate aut incarnatione numerandi.

Quamobrem ad stabiliendam Regum Francorum Merouingicæ stirpis Chronologiam, superuacaneum est, ad annos ab Christi natiuitate numeratos recurrere, quando ea annos à Christi ortu computandi ratio in antiquis historiis ante seculum octauum minimè fuit vsitata. Quo primùm auctore inoleuerit, non proditur. Excogitârat eam olim, non vndequaque tamen huic, quâ modò vtimur, congruentem, Dionysius Abbas Romanus circiter annum IↃXXV. Sanctus Presbyter Beda ferè antiquissimus est, qui ad annos Christi digessit Historiam gentis Anglorum: quam conscripsit, cùm Francis Carolus Martellus imperitabat. Ex eo tempore, præsertim sub huius filio Pippino ac nepote Carolo Magno, modus ille à Christo nato aut incarnato annos ordinandi præcipuè inualuit, vt passim exinde Regum Annales ita recensiti extent. Huiusmodi Annales vulgauit Andreas Chesnæus tomo II Scriptorum historiæ Francorum: qui finiuntur ad annum Christi, alij IↃCCXC, alij IↃCCC, quidam ad VI, VIII aut XIII sequentis seculi. quando proinde eorum auctores vixisse videntur. Hi autem necubi aberrarent, suos illos Annales auspicati sunt ab vltimis Pippini Herstalli annis eiusque filij Caroli Martelli: circa quorum

tempora maior propterea auctorum consensus reperitur. Monachus S. Dionysij in gestis Dagoberti I & Aimoinus in Historiâ Francorum antiquorum, etsi iam longo recepta vsu ea annorum à Christo nato computatio esset, tamen ne quos se in errores inducrent, eos solùm adhibuerunt temporum characteres, quos à vetustissimis & coæuis scriptoribus signatos notarant.

Regino Abbas Prumiensis, qui circa annum Christi IↃCCCC floruit, solùm posteriori Chronicorum libro, *à morte Caroli Martelli, per Incarnationis Dominicæ annos, tempora Principum & gesta declarat*: priore autem libro, omissis annis Christi, se *nihilominùs, quo tempore, quo loco, vel quid sub vnoquoque Principe actum sit, summatim demonstrare*, sub finem eiusdem libri monet. Seriem verò annorum ab ortu Christi inchoatam libro primo deesse alius quispiam inconcinnum ratus, eos infarsit, adeò tamen confusè ac perturbatè, vt vacuum integri ferè seculi interuallum reperiatur. Nam sub finem libri illius, præfixo anno Dominicæ Incarnationis IↃCLV, ista ponuntur: *Carolus Princeps* X *anno regni sui cum Baioariis pugnauit. Anno* XV *contra Lantfridum dimicauit. Anno* XVI *Eudonem Ducem Aquitaniæ protriuit. Anno* XVII *Saracenos expugnauit.* At liber secundus mox incipit ab obitu eiusdem Caroli Martelli his verbis: *Anno Dominicæ Incarnationis* IↃCCXLI *Carolus filius Pippini Maior-Domus & bellicosissimus Dux Francorum defunctus est.* En LXXX & amplius annorum spatium eidem adscriptum Martello, ac rebus gestis omnino inane. Quod quia perquàm absurdum, non putamus in Reginonem cadere potuisse. Quare toto libro primo, *annis Dominicæ Incarnationis* deletis, singulos paragraphos ab Imperatoribus inchoandos arbitramur, hac ratione:

Mauricius regnauit annos XX.

Phocas

Phocas regnauit annos VIII.

Heraclius regnauit annos XXVI. &c.

Hoc ergo modo Epochâ temporis per Imperatorum successionem vtcumque indicatâ, quas res eo tempore variis locis gestas esse credidit, subiunxit: nec tamen absque mendis. Nam DAGOBERTI I *Regis obitum*, qui contigit anno IↃC XLIV, ad *Imperium Iustiniani Rhinotmeti*, anno IↃCLXXXV inchoatum, distulit. Ast eiusdem Augusti Imperio præfixus *annus Dominicæ Incarnationis* IↃCXII, summam induxit rerum omnium perturbationem. Absurdius etiam illud, quòd Iustiniani huius pater *Constantinus Pogonatus* XVII *annos regnasse* dicitur, præscribiturque eius Imperio *annus Dominicæ Incarnationis* IↃCV, ad decennium integrum exerrante ratiocinio. Illos autem *annos Dominicæ Incarnationis* iam ab aliquot seculis appositos fuisse persuadent tum antiqui codices MSS. tum editi omnes, in quibus eodem modo anni expressi.

Reginone paullò antiquior est Milo monachus ac Sacerdos Elnonensis, à cuius calamo dedimus VI Februarij Vitam S. Amandi Episcopi Traiectensis, carmine heroico libris quatuor scriptam: item Historias Translationis & Eleuationis corporis eiusdem sancti Antistitis, cum miraculo cerei cælitus accensi anno IↃCCCLV à se spectati. Hic *corpus illius* tradit pag. 888 & 891 *eleuatum anno* IↃCCCIX, eumque numerat *annum à transitu viri Dei Amandi centesimum quinquagesimum*; cùm solùm interfuerint anni CXXIV, menses VII & dies XIV, à VI Februarij scilicet anni IↃCLXXXIV, quo obiit, ad XX Septembris anni IↃCCCIX, quo corpus eius eleuatum fuisse diximus. Ita annis XXIV legitimam Chronologiam Milo anteuertit. Eumdem aut consimilem errorem posteà errarunt Chronologus Gandensis, Theodericus Abbas S. Trudonis,

Trudonis, Philippus Abbas Bonæ-Spei, atque alij, qui seculo Christi XII in Belgio floruerunt. In Chronico Gandensi *annus Incarnationis Dominicæ* IↃCX coniungitur cum *anno* DAGOBERTI XIV, quo Blandinium conditum traditur, quod factũ anno IↃCXXXVI. S. Amandũ, qui anno Theoderici Regis II, Christi IↃCLXXXII, mense Aprili, testamentum suũ signauit, scribunt Philippus Abbas aliique, vitâ functũ esse anno Christi IↃCLXI. At Theodericus Abbas statuit S. Bauonem sub Rege Chlodoueo II vxorem duxisse, dein aliquot postannos Clericum ordinatum, tandem inclusum, ac biennio pòst mortuum, idque anno IↃCXXXI; cùm Chlodoueus anno demum IↃCXXXVIII natus sit: sub quo S. Bauo anno IↃCLVII vitâ functus est. In his ergo similibusque auctoribus antiquus, DAGOBERTI, Chlodouei, Theoderici, aliorumque Regum character, expunctis Christi annis, ferè seruandus est. Quæ extat duplex S. Vedasti Episcopi Atrebatensis Vita, à nobis VI Februarij illustrata, indicat *annos Episcopatus* eius *quadraginta*, reticet annum mortis: quem Æræ vulgaris IↃLXX fuisse tradit posterior Vita, in Lectiones ad Matutinum recitari solitas in Breuiario Atrebatensi distributa. Eumdem annum IↃLXX signant Sigebertus in Chronico, Baronius in Notationibus ad Martyrologium Romanum, aliique scriptores illustres: cùm tamen S. Vedastum circa annum IↃXL mortem obiisse certò constet ex dictis VI Februarij pag. 785.

In Galliâ interiore plurimæ Sanctorum Vitæ seculo Christi septimo conscriptæ sunt, earumque nonnullæ intrusis Christi annis posteà interpolatæ. Ita infrà ostendetur factum in Actis S. Wandregisili Abbatis Fontanellensis, & S. Ansberti Archiepiscopi Rotomagensis, in quibus ad Chronologiam rectè ordinandã annos IX aut X addi necesse est.

est. Eodem modo auctor Vitæ S. Audoëni, qui circa an. Chr. nongentesimum videtur vixisse, ac dein Fridegodus Poëta, qui circa annum IOCCCCL metrico eam stylo vertit, appositis Christi annis. Epocham Regum Francorum ad XI aut XII annos præuenientes, Chronologiam interuertunt. Similia sæpe in opere nostro de Vitis Sanctorum notata reperiet lector: nosque infrà nonnulla attingemus. Quibus non accuratè obseruatis, plures è recentioribus historicis suos Annales ac Chronica neutiquam appositè digesserunt.

II

Epocha veterum Francorum per annos Regum distincta; non Pontificum, Imperatorum externorum, aut Indictionum. Epocha eadem characteribus historicis in progenitoribus DAGOBERTI I *firmata.*

NOn hîc disquirimus, quæ à variis nationibus, præter iam indicatas, olim Æra aut Epocha annorum adhibita fuerit. Antiquitatem historicam Francorum, quæ ad propositam quæstionem sola facit, spectamus. Hanc ab vetustioribus aliquot Chronicis auspicatur Chesnæus: è quorum auctoribus Idatius Olympiadas atque Imperatorum annos potissimùm adnotauit. Prosper Aquitanus in Chronico priore, quod Petrus Pithœus olim edidit, solùm annos Imperatorum exprimit: in altero verò Chronico, Eusebij & Hieronymi Chronicis subnecti solito, singulos an-

nos propriis Consulibus distinguit. Hoc Prosperi Chronicon excipit Marius Episcopus Auenticensis, qui initio solos Consules numerat, quibus à Maximo Consule, id est, anno Christi IↃXXIII, adiungit Indictiones in antiquo Codice, qui apud nos extat. Gregorius Turonensis dum libro primo Historiæ Francorũ atque initio secundi, tẽpora ea pertractat, quibus Imperatores Romani rerum adhuc in Galliâ potiebantur, res gestas, ad eorumdem Imperatorum Epocham ordinatas, per sua tempora distribuit; recensitis etiam Consulibus Romanis, quos ad annum obitus S. Martini accuratiùs obseruatos repererat. Deinde verò, postquàm Imperio Romano è Galliis eliminato, regnum ibidem Francorum stabilitum est, solùm suorum Regum annos obseruarunt, qui dein primi res Francicas litteris tradidêre, Gregorius idem, Fredegarius, Fortunatus, Audoënus, Vrsinus, aliique Vitarum Sanctorum scriptores coæui, eosque imitati monachus S. Dionysij in gestis Dagoberti I, & Aimoinus suprà memorati.

At Romano Imperio ad Carolum Magnum eiusque posteros delato, Franci cum nomine Imperatorum vsum Indictionum, quibus Romani assueuerant, etiam susceperunt, quas diplomata Ludouici Pij & sequentium Imperatorum passim exhibent. Posteri ergo cùm viderent historias, suorum maiorum temporibus conscriptas, & priorum Regum diplomata, hisce Imperatorum & Indictionum notis, velut insigni ornamento, carere, ipsi suo calculo, sæpe inepto, suppleuêre. Trithemius, cùm appositis Indictionibus priscorum Regum annos validè firmatum iri censeret, eas suæ chronotaxi aptauit. Ita in Historiâ Francorum ab eo digestâ, *anno Christi* IↃCLXV, *Indictione* VIII, Dagobertvs I è vitâ excessit; & *anno* IↃCLXXXI, *Indictione* IX, *Chlodoueus* II: idque

idque circiter XX annorum aberratione: quâ in compendio libri primi Annalium quadantenùs emendatâ, mortuus dicitur DAGOBERTVS *anno* IↃCXLV, *Indictione* III, & *Chlodoueus* II *anno* IↃCLXII, *Indictione* V. Eadem ratione in aliis Regibus erratum ab eo aliisque. *Chlodoueus* II in Chronico Moissiacensi *post* DAGOBERTI *decessum, regnum patris adsciuit, anno ab Incarnatione* IↃCXLI, *Indictione* IV: *moritur* verò, *regnauitq; filius eius Chlotharius pro eo, anno ab Incarnatione Christi* IↃCLVIII, *Indictione* II. Quæ omnia, aliaque quàm plurima, licet Indictionibus additis videantur solidata, infrà subruemus.

Faciliùs se error prodit in annis Pontificum Romanorum adscriptis, cùm neque ea consuetudo facilè probetur apud antiquiores scriptores vsitata, & menda adeò enormia inspersa sint, vt auctoribus coæuis nequeant attribui. S. Martinus Papa, qui Theodoro anno IↃCXLVII vitâ functo successit, passim coniungitur cum DAGOBERTO I, qui anno IↃCXLIV mortuus. Imò Chronici Gandensis Scriptorem annum XIV DAGOBERTI & V Martini Papæ in Christi IↃCX conieciſſe suprà diximus.

Hanc ergo epocham Imperatorum, Pontificum, Indictionum in vsu non habuêre Franci veteres: sed Regum inuicem succedentium annis dispuncta ad seculum Christi VIII discrimina temporum sunt. Quæ tamen *computandi* ratio ad *annum chronicalem*, vti Gregorius Turonensis infrà producendus appellat, ab auctoribus refertur, atque initio à Kalendis Ianuarij aut Christi natiuitate sumpto, annis Iulianis cum Chronicis & Annalibus aliorum accommodatur. Quam ob rem aduertendum sedulò, qui vsus auctorum sit; & an ad Kalendas Ianuarias, quæ initium regni præcedunt, an quæ illud proximè sequuntur, primum annum Regum conferant, maximè si regnare cœperint mensibus ab

vtroq; Ianuario lõgiùs diſiunctis. Hinc ſollicitè Idatius monet, vt ſuprà diximus, ſe annũ eumdẽ ſcribere & *Theodoſij Magni vltimũ & filiorum Arcadij & Honorij primum.* eſtq; is annus Chriſti CCCXCV *Olybrio & Probino Coſſ.* Quem annum Imperio Theodoſij integrum relinquunt Proſper, Oroſius, Turonenſis, atque ab anno ſequenti imperium filiorum Arcadij & Honorij ordiuntur. Mortuus eſt fortaſſis Theodoſius, ſi coniectura non fallit, XVI Iulij: habuitque de eo orationem S. Ambroſius XXIV Auguſti, in quâ teſtatur *aſſiſtente ſacris altaribus Honorio Principe*, illius *obitum conclamatum eſſe*, iamque *quadrageſimum diem celebratum*, quando *in honorum adhuc honore tumuli corpus Conſtantinopolim tranſmittebatur*: cui tranſlationi impendendi ſuperfuerunt dies LXXV, nec plures diſtantia locorum poſtulat, ad VIII vſque diem Nouembris, quando corpus, Arcadio iuſta paterno funeri ſoluente, Conſtantinopoli ſepultum fuiſſe tradit Socrates lib. 6 Hiſtor. Eccl. cap. 1. Apud hunc tamen, præter alia menda, quæ ad Vitam S. Sigeberti 1 Februarij pag. 215 notamus, vitioſè ſcriptum, obiiſſe XVI Ianuarij. Iulij arbitror vel ſcripſiſſe eum, vel ſcribere debuiſſe. Si quis tamen maius ſpatium temporis requirat, ad corpus Mediolano Conſtantinopolim deportandum, menſis per me licebit adiiciatur, dicaturque ſub medium Iunij migraſſe è vitâ. Ita & ratio conſtabit, cur Idatius annum eumdem & patris vltimum & primum filiorum ſtatuerit, quia dimidiâ parte anni vtrique imperarint. Quibus autem magis Oroſij, Proſperi, Gregorij, totum eum annum patri aſſignantium, calculus probabitur, ij quoque credibiliùs vnà nobiſcum ducent, vt ille ſexto aut etiam ſeptimo menſe deceſſiſſe dicatur, quàm ſub medium primi menſis. Quis enim æquum eſſe cenſeat, vt XI menſes ac dies XV imperarint filij, & tamen omne illud

tempus

tempus patris iam mortui nomine celebretur signeturque? Capessiuerunt illi quidem mox ab eius morte imperium, sed illud in horum scriptorum Fastis non nisi à Kalendis sequentis Ianuarij illis imputatur.

In Prosperi Chronico *Arcadio* IV *& Honorio* III *Coss.* adscriptus est horum Imperij annus primus, qui erat Æræ vulgaris CCCXCVI. In Historiâ Gregorij Turon. lib. I cap. 45 *anno Imperij* eorum *secundo, Consules* ponuntur *Atticus & Cæsarius.* Is est annus Christi CCCXCVII, quo S. Martinus obiit, & quidem *anno ætatis suæ octogesimo primo, Episcopatus autem vigesimo sexto.* Eos autem annos Iulianis aptatos auspicatur is scriptor à proximè sequente Ianuario. Quem morem obseruare se testatur, vbi *sequitur & supputatur annus Chronicalis.*

Apud Francos Chlodoueo I, die XXVII Nouembris, anno IↃIX, vitâ functo, filij regnũ quadrifariàm partiti successerũt; sed ita vt eorũ primus annus ab initio sequentis IↃX inchoëtur. Ex his porrò Chlodouei filiis Chlotharius I mortuis fratribus monarchiã posteà assecutus est Francorum, deceſſitque anno IↃLXI, cuius regnũ inter quatuor filios diuisum, ita est, vt annus eorum primus apud Gregorium à sequente Ianuario numeretur. Ex his Sigebertus I Rex Austrasiorum apud eumdem Gregorium lib. 4 cap. 46 interemptus, *obiit anno regni sui* XIV, Christi IↃLXXV, eiusque filius *Childebertus* lib. 5 cap. I *vix lustro ætatis vno peracto, die Dominici Natalis regnare* cœpit. A quâ solennitate quia tunc Franci annum auspicabantur, apud Marium *Sigeberto per fraudem interfecto, Childebertus suscipit regnum Indictione* IX, *anno Consulatus Iustini iunioris Augusti* X, Christi IↃLXXVI, qui *Childeberti primus,* integer *S. Gunthramni* Regis Burgundiæ & *Chilperici,* patruorum Childeberti, voluitur *decimus quintus* apud Gregorium. Hinc lib. 5 cap. 26 horum *annus* XVII cum illius *tertio*

componitur, & cap. 28 illius *quartus* cum horum XVIII. Imò lib. 6 cap. 14 *mensis Ianuarius anni* VII *Childeberti* in patruorum XXI incidit. At lib. 9 memoratur *dies* IV *Kalend. Decemb. anni* XII *Childeberti &* XXVI *Gunthramni*.

Consensum cum annis Christi confirmant varij characteres, ad quorum normam chronologia alibi stabilienda est. Nam lib. 6 cap. 15 *dies Dominicus pridie Kalend. Februarij est anno Childeberti* VIII, Christi IↃLXXXIII, cyclo Solis IV, litterâ Dominicali C. Lib. 4 capitibus 10 & 22 collatis, *dies hebdomadæ quartus*, seu Mercurij, XVIII *Kalēdas mensis quinti*, seu Iulij, *anno Childeberti* XV *& Gunthramni* XXIX, Christi IↃXC, cyclo Solis XI, litterâ Dominicali A, quo die terræ motus contigit. Libro 10 cap. 1 *Pelagio Papâ defuncto S. Gregorius eligitur anno Childeberti* XV, Christi IↃXC. Eiusdemque *Gregorij annus* V, ad calcem Historiæ, est Childeberti XIX, Christi IↃXCIV. Præterea S. Radegundis Regina (vt scribit in eius Vitâ Bandomina, quæ morienti adstiterat) *obiit quartà feriâ manè Idibus Augusti*: addit Gregorius, qui eius sepulturæ præfuit, lib. 8 cap. 43, & lib. 9 cap. 2 *annum* tunc fuisse *Childeberti Regis* XII, *mensem* VI, *&* XIII *diem mensis*: quæ annum Christi IↃLXXXVII ostendunt fuisse, cyclo Solis VIII, litterâ Dominicali E. Eodem Gregorio teste lib. 5 cap. 17, *anno* II *Childeberti*, Christi IↃLXXVII, *dubietas Paschæ fuit*. Nam cyclo Solis XXVI, litterâ Dominicali C, *apud Turones multasq; Galliarum ciuitates Pascha celebratum fuit* secundùm Victorij canonem, XIV *Kalendas Maias*, cyclo Lunæ VIII: *apud Hispanos* verò secundùm antiquorum Latinorum Canonem XII *Kalendas Aprilis*, ipso Æquinoctij die. Sed apud Italos secundùm cyclum Lunæ Alexandrinum eo anno *Pascha fuit* VII *Kalendas Maias*: concurrentibus dicto anno in Dominicas XXI Martij, XVIII & XXV Aprilis. Simili modo lib. 10 cap. 23, *anno Childeberti*

deberti XV & *Gunthramni* XXIX, Christi IↃXC, *Turonenſes Paſcha* celebrarunt XXII, alij XV *Lunâ*, hi VII *Kalendas*, illi IV *Nonas Aprilis*: qui dies cyclo Solis XI, litterâ Dominicali A, in Dominicas conueniebant. Denique lib. 6 cap. 21 *anno Childeberti* VII, *Chilperici & Gunthramni* XXI, Christi IↃLXXXII, *Luna eclipſin paſſa eſt*, & lib. 10 cap. 23 *anno Childeberti* XV, *Gunthramni* XXIX, Christi IↃXC, *ſol eclipſin pertulit menſe octauo*, ſiue Octobri. Vtramque dictis annis eclipſin contigiſſe accurato calculo demonſtrat Petauius de Doctrinâ temporum lib. 8 pag. 850 & 852.

Hæc placuit diffuſiùs proponere, quæ qui ſcripſit, coràm ſpectauit S. Gregorius, Epiſcopus Turonenſis factus anno Christi IↃLXXIII aut initio ſequentis, biennio ante regnum Childeberti: vt lector agnoſcat characteres è viſceribus hiſtoriæ erutos, quibus diſcrimina temporum internoſci debent, & certis quaſi palis terminiſque affigi ac circumſcribi: intelligatque non ſufficere externum quempiam annorum regni vniuſcuiuſque numerum, qui fallax eſt, ſtupiditati amanuenſium, & fraudibus erroribuſque variis ſubiectus, vt ſuprà ex Reginone conſtat.

Demum anni variorum Epiſcoporum aut Abbatum à coæuis ſcriptoribus obſeruati, magnam Chronologiæ conferunt lucem, ac præclarè Epocham Regum ſtabiliunt. Cuius rei exempla infrà damus.

III *Diſcri-*

III

Discrimen vnius anni in successione filiorum Chlotharij I *inter Gregorium Turonensem & Fredegarium. Annus obitus S. Gunthramni, Childeberti & filiorum Theodeberti ac Theoderici. monarchia Clotharij* II *patris* DAGOBERTI I. *Huius infantia.*

FRedegarius initio Chronici præfatur, se *de eodem incipere tempore scribere, quo Gregorius finem Gestæ cessauit & tacuit, cùm Chilperici vitam finisse scripsit.* Interim, quod hactenùs non obseruaui ab aliis animaduersum, eius Chronologicum calculum anno vno præuertit, dum, quem Gregorius Turonensis primum annum regnorum Gunthramni, Chilperici & fratrum separat ab vltimo anno patris Chlotharij I, ac duos constituit; ipse coniungit, atque vnicum facit vltimum Chlotharij & primum filiorum Regum. Propterea qui calculum Fredegarij circa hos Reges chronotaxi Gregorij aptare cupiat, annum Fredegario demat necesse est. Quod sequentibus exemplis demonstratur: dum anni Gunthramni & Chilperici secundùm vtriusque calculum applicantur annis Childeberti Austrasiorum Regis, qui *patre Sigeberto* I interempto, vt suprà ostendimus, *die Dominici Natalis regnare cœpit.* A quâ solennitate inchoatus annus Christi IↃLXXVI, qui *Childeberti primus*, & *Gunthramni & Chilperici* patruorum apud Gregorium *decimus quintus* est: quem *decimum sextum* numerat Fredegarius.

Hinc

Hinc in Historiâ epitomatâ, quæ etiam Excerpta Chronica Gregorij Turonensis inscribitur, cap. 80 *annus tertius Childeberti* coniungitur cum *anno decimo sexto Chilperici & Gunthramni:* & *annus* illius *quartus* cum horum *anno decimo septimo.* Apud Gregorium Turon. verò lib.5 cap.26 horum *annus decimus septimus* componitur cum illius *tertio*. Dein cap.28 illius *quartus* cum aliorum *decimo octauo.* Imò lib.6 cap.14 *mensis Ianuarius anni* VII *Childeberti* in *annum* patruorum *vigesimum primum* conuenit: quem Fredegarius cap.87 solùm *vigesimum* censet. Præterea Chilpericum tradit Gregorius lib.6 cap. 46 interemptum esse mense circiter Septembri, vt ex cap.45 colligitur, idque *anno* IX *Childeberti*, qui cap. 33 indicatur, & res eodem anno IX Childeberti gestæ adhuc referuntur lib.7 vsque ad caput 24. Illum annum idem Gregorius statuit conuenire in *annum Chilperici & Gunthramni vigesimum tertium*, quem Fredegarius in Chronico capitibus tribus primis numerat eorum *vigesimũ quartum*, eumdemque signat *annum primum regni Clotharij* II patris Dagoberti I, quamuis is patre moriente, quatuor tãtùm menses natus fuerit, neque annum illum integrum, qui eius regno tribuitur, vixerit: erat is, vt diximus annus Christi IↃLXXXIV.

Anno insequente, apud Fredegarium cap. 4, *vigesimo quinto regni Gunthramni*, huius iussu *Mummulus interfectus est:* cuius cædem Gregorius lib. 7 cap. 39 refert *anno Childeberti* X *& Gunthramni* XXIV: ad quem annum res gestæ lib.8 abeo descriptæ, adhuc spectant. Anno Christi IↃ-LXXXVII Leouigildi Regis Hispaniarũ mortui regnũ obtinuit Recaredus filius: qui annus Fredegario cap.6 est *Gunthramni vigesimus septimus*, Gregorio lib. 8 cap. 46 eiusdem *Gunthramni vigesimus sextus, & Childeberti duodecimus.* Ita qui au-

ctore eodem Gregorio lib.10 cap. 10 dicitur *Childeberti decimus quintus, & Gunthramni nonus atque viceſimus*, & cap. 24 *Childeberti decimus ſextus & Gunthramni trigeſimus*; apud Fredegarium eſt *Gunthramni trigeſimus & trigeſimus primus*: apud quem cap. 13 *anno* XXXII *Gunthramni ita à mane vſque ad mediam diem ſol minoratus eſt, vt tertia pars ex ipſo vix appareret.* Ea ſolis defectio accidit anno IↃXCII, qui ad Gregorij calculum foret annus Childeberti XVI, & Gunthramni XXXI: quem tamen Aimoinus etiam huius XXXII appellat lib.3 cap. 80, qui initio calculum Gregorij Turonenſis ſecutus, à cap. 75 eiuſdem libri, ſui immemor, poſuit annum Gunthramni XXV & ſequentes ſecundùm computum Fredegarij. Eamdem ſolis defectionem anno IX Mauritij, qui in dictum annum Chriſti IↃXCII conuenit, verno tempore contigiſſe ſcribunt Theophanes & Anaſtaſius in hiſtoriâ. Viſa autem eſt XVIII Martij, paullò antè horam IX, & duabus horis ac dimidiâ durauit, vti ſecundùm Pariſinas tabulas accuratè demonſtrat Petauius lib.8 de Doctrinâ Temporum paginâ 853 & ſequenti. Et hic ſolidus hiſtoriæ Fredegarij atque Aimoini character eſt, quo tempora ſequentia niti poſſunt.

Anno ergo proximo ab hoc ſolis defectu apud Fredegarium cap.14 *moritur Gunthramnus Rex anno regni* XXXIII, V *Kalendas Aprilis*, die eius venerationi deinceps ſacrato. Fredegarium deſcribit Aimoinus lib. 3 cap.81. Annus is eſt Chriſti IↃXCIII, quem ſucceſſio Childeberti, eiuſque filiorum confirmat. In tabulis Chronologicis, quæ geſtis Epiſcoporum Tungrenſium, Traiectenſium & Leodienſium, à Chappeauilleo editis ſubnectuntur, calculo Fredegarij ſecundùm computationem Gregorij Turon. perperàm poſito, & relata ſolis defectio ad annum IↃXCIII ſtatuitur, &

obitus

obitus S. Guntramni, succeſſioque Childeberti, in annum ſequentem IↃXCIV reiicitur. Verùm dicto anno IↃXCIII nulla omnino eclipſis ſolaris fuit, in noſtro quidem hemiſphærio conſpicua. Nã è quatuor Nouiluniis, quæ prope Caput & Caudam Draconis contigerunt, & de quibus ſolis poteſt aliqua quæſtio moueri, tria pluribus poſt ſolis occaſum horis facta ſunt, vnicum interdiu, nempe 11 Auguſti, horâ circiter ſecundâ pomeridianâ, quod eclipticum non fuit. Dein ſi annis Gunthramni in eiſdem Tabulis ſignatis ſubſtituantur anni Childeberti apud Burgundos regnantis, vti actum eſt à Fredegario, & Aimoino, eius primordium neceſſariò ab anno ICXCIII ſumendum eſſe, ex mox dicendis conſtabit.

Idem ergo annus Chriſti IↃXCIII à nobis aſſignatus, apud Fredegarium & Aimoinum & vltimus fuit S. Gunthramni Regis, & primus Childeberti in illius ſuſcepto regno: cuius regni Epocham tribus ſequentibus annis adhiberi diximus. Hic autem *Childebertus*, vt cap. 16 tradit Fredegarius, *anno* IV, *poſtquàm regnum Gunthramni acceperat, defunctus eſt, regnumq; eius filij ſui Theudebertus & Theudericus adſumunt. Theudebertus ſortitus eſt Auſter, ſedem habens Metenſem, Theudericus accepit regnum Gunthramni in Burgundiâ, ſedem habens Aurelianis.* His conſimilia habet Aimoinus cap. 84. Eſt autem hic vltimus annus Childeberti, idem qui primus filiorum, Theoberti & Theoderici, conuenitque in annum Chriſti IↃXCVI, quo nempe eiſdem Regibus, epiſtolâ *Indictione* XIV ſcriptâ, S. Gregorius Papa commendauit SS. Auguſtinum, Laurentium, alioſque in Angliam proficiſcẽtes *anno Mauritij* XIV, vt ait Beda lib. 1 cap. 25: qui annus cum *Indictione* XIV incidit in annum Chriſti IↃXCVI. Eſt ea S. Gregorij epiſtola 58 libri 5 Regiſtri, cuius tum *menſe Iulio* ſcri-

ptæ meminit Baronius,& anno illo 596 num. 10,& an. 598 numer.13. Ad quem annum distulit obitum S.Gunthramni Regis. quare & addit: *Dum verò aiunt*, Fredegarius & Aimoinus, *Gunthramnum Childeberto reliquisse regnum, non video, quomodò id fieri potuerit, cùm habitâ ratione annorum Gunthramni, ipsum Childebertum ante eum ex hac vitâ migrasse oportuerit anno* IↃXCVI, *vt ex litteris Gregorij Papæ monstrauimus.* Verùm secundùm chronotaxim nostram, omnia liquida ac perspicua sunt.De itinere SS. Augustini, Laurentij & aliorum per Gallias in Angliam egimus II Februarij ad Vitam S.Laurentij II Archiepiscopi Cantuarensis § 2 nu. 5.

Regni deinde *Theuderici anno* VII apud Fredegarium cap. 23, *Mauritij à se interfecti Imperium assumpsit Focas.* Annus is ex calculo posito est IↃCII, quo litterâ Dominicali G, cyclo solis XXIII, *die* XXVII *Nouembris, Feriâ* III *hebdomadæ, capite* eum *plexum* refert Chronicon Alexandrinum. Demum *anno regni Theodorici* XVII, Christi IↃCXII, *Theudebertus* prælio à fratre victus, cum regno vitam amisit. *Theudericus* verò *anno regni* XVIII, Christi IↃCXIII, *Mettis profluuio ventris mortuus* est: cuius filiis Sigeberto aliisque & auiâ Brunechilde occisis, Clotharius II anno regni paterni XXX, teste eodem Fredegario cap.49, *in Burgundiâ & Auster regnum arripuit*, eiusque primus annus cum dicto anno IↃCXIII, quo Theodericus eiusque filij obierunt, computatur. Puer adhuc eo tempore DAGOBERTVS I erat, ex Bertetrude priore coniuge Chlotharij II natus.

IV

Tres gestorum Regis DAGOBERTI *scriptores præcipui, Fredegarius, Monachus S. Dionysij, & Aimoinus. Eius adolescentia, regnum Austrasiorum & matrimonium cum Gomadrude.*

ACturi de DAGOBERTO I, non quæcumque ab eo gesta traduntur recensebimus, sed potiùs, quod de rebus illi adscriptis ferri iudicium par sit, paucis ostendemus. Ac primò Fredegarius (quem infrà probamus, Chronicon ad caput LXXXX, siue ad quartum post obitum DAGOBERTI annum, solùm scripsisse) vnus est, cuius præcipuè stare testimonio possimus, vtpote DAGOBERTO coæuus, & qui præfatur, se *Acta Regum & bella gerentium, quæ legendo simul & audiendo, etiam & videndo, cuncta certificatus cognouit, huius libelli volumine scribere non siluisse, sed curiosissimè, quantùm potuit, inserere studuisse.* Et quiuis hoc Chronicon relegens, facilè aduertet ex dictione circa Acta DAGOBERTI magis incultâ, ea primò illius calamo exarata esse; non, vt priora magis nitida, ex aliis auctoribus descripta, aut saltem contracta.

Andreas Chesnæus tomo I Historiæ Francorum, exorditur DAGOBERTI Regis tempora à *gestis* eiusdem *Domni* DAGOBERTI, *scriptis à monacho S. Dionysij*, eumque *anonymum quidem, sed contemporaneum* appellat. Petrus de Marcâ lib. I historiæ Bearniæ cap. 26, § 1 opinatur scripsisse illum *sub Chlodoueo* II, cum cuius obitu historiam finit. Verùm plura sunt, quæ hunc auctorem aliquot seculis iunio-

rem esse persuadeant. Sufficiant hîc paucula ex capite XLIII verba: *Vnum*, inquit, *quod in quadam vetustissimâ reperi chartâ, quam, vt ferebatur, B. Audoënus scripserat, quodq; memorato Regi eius post mortem contigit, breuiter narrabo miraculum.* Eiusdem DAGOBERTI Gesta quasi à pluribus scripta citat Aimoinus lib. 4 cap. 17. *Cuius* DAGOBERTI, inquit, *actus licet à nonnullis separatim digesti habeantur, tamen ne eos facta eius lateant, apud quos præfata non inuenitur scriptura, ea nos libuit perstringere.* Floruit Aimoinus monachus Floriacensis sub annum Christi CIↃ, suamque historiam inscripsit S. Abboni Abbati anno CIↃIV interempto, cuius & Vitam scripsit, XIII Nouembris à nobis publico dandam. Aimoino quantò antiquior ille S. Dionysij monachus fuerit, incertum est: antiquiorem tamen fuisse, ex dictis licet coniectare. Ambo præcipuam historiæ suæ auctoritatem mutuantur à Fredegario, à quo pleraque describunt. Reliquis eorum scriptis non tam securam vbique fidem esse adhibendam, infrà constabit.

Inter antiquas & fide dignas historias minimè numeraramus *Gesta Regum Francorum* ad Theodericum Regem, DAGOBERTI Iunioris successorem, continuata, atque à Marquardo Frehero, & Andreâ Chesnæo edita, cuius libri auctorem viri eruditi non immeritò *anonymum fabulatorem* appellant.

Hæc de auctoribus: ex quibus monachus S. Dionysij cap. 2 scribit, DAGOBERTVM *in annis puerilibus à genitore traditum esse Arnulpho Metensium vrbis Episcopo, vt eum secundùm suam sapiẽtiam enutrîret, eiq; tramitem Christianæ religionis ostenderet, custosq; ac baiulus esset.* Ac quasi Metis dein Parisios rediisset, addit, *adolescentiæ ætatem venationibus exercuisse*, ac veneratione m amoremque erga *SS. Dionysium, Eleutherium ac Rusti-*

cum

cum concepisse: quando ipso insequente ad horum Martyrum ædem fertur ceruus confugisse. Quæ auctor ille, & primus quidem, prolixè narrat, cap. 2, 3, 4; dein cap. 5 obitum Bertetrudis Reginæ matris eius, quam Fredegarius cap. 46 tradit *mortuam esse anno Chlotharij* XXXVI, Christi IↃCXIX, ac biennio pòst DAGOBERTVM *super Austrasios Regem institutum, anno* XXXVIII *regni Chlotharij*, Christi IↃCXXI : quem adhuc adolescentem potiùs arbitramur tunc primùm S. Arnulpho Episcopo Metensi commendatum. Fredegarius cap. 58, *Ab initio*, inquit, *quo regnare cæperat, consilio primitus beatissimi Arnulfi Metensis vrbis Episcopi, & Pippini Maioris-Domus vsus, tantâ prosperitate regale regimen in Auster regebat, vt à cunctis gentibus immenso ordine laudem haberet.* Et auctor Vitæ S. Arnulphi coæuus, & in pluribus testis oculatus, ait : *Arnulphum Episcopum Chlotharius tantâ fide & amore dilexit, vt cùm prolem suam* DAGOBERTVM *in Principatus culmine sublimasset, eidem regnum ad gubernandum, & filium ad erudiendum in manum tradiderit. Quem ille acceptum ita altissimâ & profundâ eruditione prudentiâ, vt in se amborum ratione Rex nullus illi similis fuisse narraret.* Hæc illi, quæ nobis magis probantur, maximè quòd eum *adolescentem Austrasiorum regnum administrasse* etiam asserat Harigerus in gestis Episcoporum Tungrensium & Traiectensium cap. 29. Quem Fredegarius initi apud Austrasios regni, appellat *annum Chlotharij* XXXVIII, sequentẽ XXXIX tradit monachus S. Dionysij c. 12, eumq; secutus Aimoinus lib. 4 cap. 8, vbi ipsamet reliqua verba Fredegarij vsurpant. Verùm quia eadem vbique ratione tam in libris editis, quàm manu exaratis legitur apud Fredegarium *annus Chlotharij* XXXVIII, eum potiùs retinendum censemus, cùm codex MS. Alexandri Petauij appelletur *vetustissimus*, & codex Iacobi Sirmondi *vncialibus litteris exaratus* videa-

videatur extitisse ante ætatem Aimoini & fortè monachi S. Dionysij. Verùm mox sequuntur Fredegarium, & Chrodoaldum iussu DAGOBERTI anno XLI tradunt interfectum.

In hac regni Austrasiorum institutione *Chlotharius sibi retinebat, quod Ardenna & Vosagus versùs Neuster & Burgundiam excludebant.* Accipit auctor Ardennam, vt eam Iulius Cæsar lib. 6 de Bello Gallico cap. 29 descripsit, ad Neruios vsque extentam, cuius istic partem alij scriptores siluam Carbonariam appellant. Hinc B. Pippinum, quem cum S. Arnulpho ad informandum regiis moribus DAGOBERTVM statuerat Chlotharius, occasione Pippini Herstalli nepotis tradunt Annales Metenses ad an. 687, *populum inter Carbonariam siluam & Mosam fluuium & vsque ad Fresionum fines, vastis limitibus habitantem iustis legibus gubernasse.* Quâ in ditione tunc Germaniæ secundæ, cuius caput Colonia erat, portio censebatur; atque vnà cum Germaniâ I & Belgicâ I, ac regionibus Transrhenanis in DAGOBERTI regno continebatur. Partem eam Belgicæ II, in quâ diœceses Remensis, Catalaunensis, Laudunensis & Cameracensis sitæ, sibi retinuerat parens Chlotharius. Ea quoque, vbi matrimonium iniit DAGOBERTVS reliquis Austrasiis addita. Quæ ita narrat Fredegarius cap. 53: *Anno* XLII *regni Chlotharij,* Christi IↃCXXV, DAGOBERTVS *cultu regio & iussu patris honestè cùm Leudibus in Clippiaco, non procul Parisius venit, ibiq; germanam Sichildæ Reginæ, nomine Gomadrudem, in coniugium accepit. Transactis nuptiis die tertio inter Chlotharium & filium suum* DAGOBERTVM *grauis orta fuit intentio. Petebat enim* DAGOBERTVS *cuncta, quæ ad regnum Austrasiorum pertenebant, suæ ditioni velle recipere. Quod Chlotharius vehementer denegabat, eidem ex hoc nihil velle concedere. Electi sunt ab his duobus Regibus* XII *Franci, vt eorum disceptatione hæc finiretur intentio. Inter quos & Domnus*

mnus Arnulfus Pontifex Metenſis cum reliquis Epiſcopis elegitur, vt benigniſſimè (ſicut ſua erat ſanctitas) inter patrem & filium pro pacis loqueretur concordiâ. Tandem à Pontificibus vel ſapientiſſimis viris Proceribus pater pacificatur cum filio. Reddenſq; ei ſolidatum, quod aſpiciebat ad regnum Auſtraſiorum, hoc tantùm exinde, quod citra Ligerem vel Prouinciæ partes ſitum erat, ſuæ ditioni retenuit.

Hæc Fredegarius, qui apud Burgundiones, & eos præſertim qui Meridiem versùs propinqua Rhodano tenent, egit ætatem. Ab his Aruerni, Albigenſes, Gabali, Cadurci, viciniq́ue populi, qui ſpectabant ad Auſtraſios, dicebantur *citra Ligerim fluuium* habitare. Suum Fredegarius affectum erga Reges Burgundionum vel maximè prodit, dum Chronicon & à laude ac virtutibus S. Gunthramni Regis auſpicatur, & per annos illius, tum Childeberti, huiuſq́ue filij Theoderici, vt Regum Burgundiæ, deducit, omiſſo Theudeberto Rege Auſtraſiorum, licet natu ſenior foret, & neglecto Chlothario II Rege Neuſtriæ vſque ad annum regni XXX, quando reliquis mortuis etiam *in Burgundiâ & Auſtriâ regnum arripuit*, vt tradit cap. 43. Cum Fredegario prædictos populos *citra Ligerim* conſtituunt non ſolùm Aimoinus, qui in monaſterio Floriacenſi ad Ligerim degebat, ſed etiam monachus S. Dionyſij in Geſtis illius cap. 13. *Hoc tantùm*, inquit, *exinde, quod citra Ligerim, vel Prouinciæ partibus ſitum erat, ſuæ ditioni retinuit.* Aimoinus cap. 12: *Hoc tantùm exinde, quod citra Ligerim, vel in regione, quam Prouinciam cognominant, ſitum eſt, ſuæ ditioni retinuit.* De regione Rhodanum inter & Alpes, Romanorum olim Prouinciâ, egimus 1 Februarij ad Vitam S. Sigeberti Regis Francorum Auſtraſiorum, diximuſq́ue Auſtraſiis ſubiectam fuiſſe prouinciam Maſſilienſium, imò eam in plures ſubdiuiſam. Nam *S. Bo-*

nitus,

nitus, posteà Episcopus Aruernorum, olim *S. Sigeberti Referendarius*, sub huius successore Childerico factus est *Iudex in Præfecturâ Massiliæ primæ Prouinciæ*, vt dicitur in huius Vitâ XV Ianuarij num. 4. A Sigeberto I Rege Austrasiorum ad Cabellicensem Cathedram in Prouinciâ promotum esse S. Veranum, habent huius Acta XI Nouemb. vti diximus VIII Februarij in Vitâ S. Honorati Episcopi Mediolanensis pag. 167 num. 25.

V

Gesta DAGOBERTI *post matrimonium initũ apud Austrasios. VVormatiensi Ecclesiæ donata. Quid Argentoratensi & Spirensi ab eo præstitum.*

ANno post has DAGOBERTI nuptias, *regni Chlotharij* XLIII, vt scribit Fredegarius cap. 54, *VVarnacharius Maior-Domus moritur. Filius eius Godinus, animum leuitate imbutus, nouercam suam Bertanem eo anno accepit vxorem. Vnde Chlotharius Rex aduersùs eum nimio furore permotus: iubet Arneberto Duci, qui Godini germanam vxorem habebat, eum cum exercitu interficeret. Godinus cernens vitæ suæ periculum, terga vertens, cum vxore ad* DAGOBERTVM *Regem perrexit in Auster, & in ecclesiâ S. Apri, regio timore perterritus, fecit confugium.* DAGOBERTVS *per legatos pro eius vitâ sæpius Chlothario Regi deprecabatur. Tandem à Chlothario promittitur Godino vita concessa, tantùm vt Bertanem, quam contra Canonum instituta vxorem acceperat, relinqueret. Qui cùm ipsam reliquisset, reuersus est in regnum Burgundiæ.* Hæc Fredegarius, neque aliud quidquam ab DAGOBERTO

GOBERTO gestum narrat, quamdiu in viuis pater fuit. Addunt alij, DAGOBERTVM impigrè bellum cùm Saxonibus gessisse, & certamine inito, vulnus in capite animosè pugnantem accepisse. Ei patrem Chlotharium re cognitâ suppetias tulisse, Bertoaldum Ducem in fugâ obtruncatum, & penetratâ regione, vastatisque tectis & agris, mares omnes deletos esse *spathâ Chlotharij* longiores. Hæc pluribus, eisdemque ferè verbis, narrant Aimoinus lib. 4 cap. 18, Monachus Sandionysianus cap. 14, Auctor gestorum Regum Francorum cap. 41 & senem depingunt Chlotharium, qui detractâ galeâ, nudum canisque niueum verticem hosti ad metum suique reuerentiam ostentârit: quem constat annum ætatis XLV vix ingressum decessisse. Nisi quis dicat, ex tot bellis, quæ ab ipsâ penè pueritiâ gessit, nec semper secundâ fortunâ, caput illi intempestiuâ canitie albicasse. Verùm quia de his omnino silet Fredegarius, & ea Aimoinus post mortem ipsius DAGOBERTI, ordine præpostero, narrat, non plenam saltem obtinent fidem.

Adiungo perscriptas hoc tempore tabulas, & publicâ DAGOBERTI Regis auctoritate signatas, à Marquardo Frehero in libro de Lupoduno editas: quibus in ipsius Lupoduni, quod iam tum Laudemburgum vocabant, perpetuam Ecclesia Wormatiensis missa possessionem est. Plura ex his tabulis, quæ ad tempora ac res gestas DAGOBERTI spectant, eruere licebit. Sunt autem huiusmodi.

DAGOBERTVS *Rex Francorum. Cunctos nosse volumus, qualiter nos de remedio animæ nostræ & de futurâ retributione cogitantes, omnino proposuimus in animo nostro Ecclesias Dei de allodiis nostris cohæredes facere, & loca Sanctorum augmentare. De hoc tulimus bonum consilium Procerum nostrorum, Pippini, qui est Maior-Domus, Arnolfi Metensis Episcopi, Huniberti Coloniensis Archiepiscopi:*

piscopi: & inde misericordiam Dei consequi, & eius Sanctorum suffragia promereri confidimus. Ideò omnes Dei fideles, & nostri, præsentes & futuri recognoscite, qualiter omnes res iuris nostri in pago Laudemburgensi, & quidquid ad nostram vrbem ambulare visum est, & omne quod ad fiscum nostrum hactenùs pertinebat (excepto Stipe & Comitatu) ex eo nihil dimittentes, tradimus totum ex integro, magnum & paruum, ad basilicam S. Petri Apostoli, quæ est in VVormatiâ ciuitate constructa, cui præest Dominus, vir Apostolicus, Amandus; hoc est, quod tradimus, ciuitatem nostram Laudemburg, palatium nostrum, ædificia, mancipia, vineas, terras cultas & incultas, agros, prata, campos, omne siluaticum in siluis Oyenvvalt, cum omni vtensilitate in omni pago Laudenburgensi & vndique in intrahâ, in pascuis, materiamina, aquas, aquarumq; decursus, piscationibus, quæsitis & inquirendis, omne teloneum, mercatum, & quidquid dici aut nominari potest, sicut priùs ad nostrum vsum ambulare videbatur, sic in anteà ad præscriptam basilicam pro æternæ mercedis augmentum possidendum donauimus, & sub integrâ communitate omnia ad eamdem basilicam pertinentia, præceptione nostrâ à nouo confirmamus, sicuti priori anno communitatis tuitionem dedimus, omnes villas facultates, seu Abbatias, & quidquid ad ipsam ciuitatem VVormatiam aspicere videtur, vt nullus Iudex publicus, nec causas audiendo, nec freda exigendo, nec homines ipsius Ecclesiæ, tam ingenuos quàm & seruientes, distringendo, nullum impedimentum audeat facere, nisi pro parte ipsius Ecclesiæ, vel ipse Pontifex Amandus, aut successores hoc habent concessum atque indultum, quieto ordinè possidere, atque dominari, quod partibus fisci nostri fuit consuetudo reddendi. Et vt auctoritas hæc firmior sit, manu nostrâ subscriptionibus subditis illam decreuimus roborare. DAGOBERTVS REX FRANCORVM. *Godefridus recognouit. Datum sub die* II *Kalend. Octobris, anno regni nostri* VI. *Actum Moguntiæ palatio nostro, feliciter satis.*

Hactenùs

Hactenùs tabulæ DAGOBERTI, quas dein confirmarunt Reges Childericus, Pippinus, eiusque filius Carolus Magnus: vti in huius diplomate apud eumdem Freherum paginâ 22 liquet. Ibi, vt Carolus declarat, *Erenbertus Ecclesiæ VVormatiensis Episcopus detulit præceptum* DAGOBERTI *Regis Fracorum, in quo tenebatur, qualiter idem* DAGOBERTVS *Rex Francorũ ad basilicam S. Petri Apostoli, quæ est in VVormatiâ ciuitate constructa, tradidit ciuitatem Laudemberg in pago Laudenburgensi sitam, cum omnibus rebus ad illam pertinentibus, hoc est, ædificia, mancipia, vineas, terras cultas & incultas, agros, prata, campos, omnem siluaticum in siluis Oyenvvalt, cum omni vtensilitate in omni pago Laudenburgensi in vndique in intrahâ, in pascuis, in materiaminibus, aquis aquarumq; decursibus, piscationibus, quæsitis & inquirendis: item teloneum, mercatum, & quidquid ad fiscum pertinebat, excepto Stipe & Comitatu, ex integro omnia concessit, & sub integrâ erumnitate omnia ad eamdem basilicam pertinentia suâ præceptione cõfirmauit. Prætereà in nostram præsentiam attulit chartas & præcepta prædecessorum nostrorum, Regum videlicet Francorum, Hilperici, & genitoris nostri bonæ memoriæ Pippini, in quibus continebatur, quomodò ipsi Principes & Reges Francorum præceptum* DAGOBERTI, *& omnes prædictæ Ecclesiæ res suis præceptionibus confirmaßent.... Data mense Iulio, anno* XXX *regni nostri. Actum Valentianas.* Quod priuilegium posteà confirmarunt *Ludouicus Rex, Otto Imperator, Henricus Rex, Rudolphus Rex Romanorum, &* *Ludouicus* IV *Imperator.* Imò *telonei* à DAGOBERTO aliisque Regibus concessi priuilegiũ renouarunt *Ludouicus Pius Imperator, Lotharius Augustus, &* *Otto Imperator.* vti in eodem tractatu videri potest pag. 23 & 24. Demum *originale diploma* DAGOBERTI *Regis* suo tempore *adhuc integrum* fuisse *in archiuis Episcopi VVormatiensis* testatur Gaspar Bruschius in x Episcopo Wormatiensi. Quæ omnia dicto

diplomati fidem conciliant indubitatam, ac tres Antistites nominant, qui anno VI regni DAGOBERTI, Christi IↃCXXVI aut sequenti, sacras insulas gesserunt, Arnulphum Metensem, Chunibertum Colonienſem, & Amandum Wormatienſem.

Est hic *Amandus* II istius nominis Wormatiensis Episcopus, qui *tantâ religione*, vti asserit Bruschius, *ac tantis miraculis etiam claruit, quibus doctrinam Christianam confirmauit Deus, vt ei Senatus populusq; vrbis Vangionum templum gratitudinis ac pietatis ergô post mortem statuerent, quod hodie adhuc in suburbio situm, S. Amandi parochia appellatur.* Bertramus Limburgius Societatis nostræ olim apud Vangiones collegij Rector, de Sanctis vrbis Wormatiensis à nobis interrogatus, respondit anno CIↃIↃCXXXVIII, *corpus S. Amandi, huius nominis* II *Episcopi VVormatiensis, adseruari in Cathedrali æde, in eiusq; honorem extructum templum extare parochiale in suburbio, dictum S. Amandi, eiusq; festum celebrari* XXVI *Octobris, at Lectiones in Breuiario VVormatiensi recitari de S. Amando Belgij Apostolo, nullâ factâ Sedis VVormatiensis mentione.* Sed S. Amandus II Wormatiensis diuersus est ab S. Amando Belgij Apostolo, Episcopo Traiectensi. Hic iuuenis Biturigas profectus, S. Austregisilum eius vrbis Episcopum conuenit, non ante annum IↃCXII, quo infrà dicemus S. Apollinari mense Octobri anni IↃCXI mortuo successisse S. Austregisilum. Ab hoc *S. Amandus*, teste Baudemundo in eius Vitâ, *Bituricis inclusus, tribus ferè militans lustris, pane & aquâ corpus suum sustentauit.* Quibus lustris annos quindecim exprimunt, Anonymus Aquitanus, Milo Poëta, Harigerus, & Philippus ab Eleëmosynâ in eius Vitâ. *Sic*, inquit hic, *annis fermè quindecim viro Dei viuitur*, sub *SS. Austregisilo & Sulpitio Pio*, ad annum vsque Christi IↃCXXVII, quo Romam abiit, à reditu consecratus

cratus Episcopus: cùm Wormatiensis Episcopus Amandus iam prædicta bona à DAGOBERTO Rege anno IↃCXXVI aut sequente obtinuisset.

Spira ciuitas Nemetum, Wormatiam inter & Argentoratum, suos olim habuit Episcopos, sed quorum acta nominaque prorsus interciderunt, vnico excepto Iessæo, qui in Synodo Agrippinensi, anno Christi CCCXLVI cum aliis orthodoxis Episcopis Euphratam hæreseos condemnauit. A quo tempore collapsum volunt hunc Episcopatum, quem *Rex* DAGOBERTVS *feliciter instaurârit*, eique *præfecerit Athanasium, Sacellanum suum*: ideoque DAGOBERTVM *veluti primum suum fundatorem totam honorare & prædicare Spirensem Ecclesiam.* Verùm sicut quæ non firmis nixa sunt fundamẽtis ædificia, facilè corruunt, ita nonnullæ historiæ, quibus sua deficit ab antiquitate auctoritas, facilè dissipantur. Walafridus Strabo in Vitâ S. Galli Abbatis XVI Octobr. refert *à Gunzone Duce Constantiam ad eligendum Episcopum aduocatos esse Augustodunensem & Verdunensem Episcopos, cum multitudine Clericorum. Nemidone etiam, quæ à modernis Spira vocatur, venire iussum Episcopum.* Ita Strabo. In eo Episcoporum conuentu, S. Gallo id onus declinante, creatus est Episcopus Ioannes Diaconus circa annum IↃCXIII. Guilielmus Eysengreinius lib. 7 Rerum Chronologicarum vrbis Spirensis & Bruschius de Episcopis, hunc *Nemidonensem*, seu Spirensem, Episcopum appellant *Athanasium*, eiusque Sedi attribuunt *annos quadraginta*: vti & Democharis & Claudius Robertus: qui eidem successisse tradunt *Principium*, quem donationibus Eccleſiæ Treuirensi eiusque Episcopo Modoaldo à DAGOBERTO anno IↃCXXXII factis subscripsisse volunt: adeoque eius decessor Athanasius multis antè annis fuisset Episcopus, quàm DAGOBERTVS nasceretur.

tur. Verùm illud donationis monumentum fide auctoritateque carere infrà ostendetur.

Nicolaus Serarius enumerat antiquos vrbis Moguntinæ Episcopos, ac XXXVI censet *Luthvvaldum*, eique succesſisse *Leovvaldum*, quorum alteruter, si tamen diuersi sint, est *Lupoaldus*, qui Concilio Remensi anno IↃCXXIV aut sequenti subscripsit. Quidni simili modo Wormatiæ, Spiræ, Argentorati, quæ eidem Germaniæ I in Notitiâ antiquâ Prouinciarum & Ciuitatum Galliæ attribuuntur, sui etiam fuerint Episcopi? Est autem nobilissima ditissimaque Argentoratensium Ecclesia, cui ab vno eodemque Rege DAGOBERTO præcipua bona volunt donata, posterioris æui passim omnes scriptores, eumque appellant *Argentinensis Episcopatus Fundatorem*. Iacobus Wymphelingus in catalogo Episcoporum Argentinensium anno CIↃIↃVIII excuso, originem huius Episcopatus ita refert: DAGOBERTVS, *Austrasiorum & Alsaticorum Rex, cognitâ sanctitatis & virtutum Amandi famâ, ipsum, vt ex Traiecto vocatus, primus Argentinensis Ecclesiæ Antistes præficeretur, effecit anno Christi* IↃXCVI, scilicet quinquaginta antè annis, quàm Ecclesiæ Traiectensi præficeretur S. Amandus, circa an. IↃXCIV natus, quo tamen DAGOBERTVS Rex multò iunior fuit. Franciscus Guillimannus in Commentario de Episcopis Argentinensibus Wymphelingi errorem correcturus, scribit *S. Amandum ab* DAGOBERTO *Magno Francorum Rege, primum Argentinensiũ institutum Episcopum circiter an. Domini nostri* IↃCXL. quem Episcopatum fundaturus *quidquid iuris aut regiæ superioritatis in eâ* Alsatiâ *sibi aut suis quocumque modo competeret, in Amandum & in eius in præsulatu legitimos successores liberrimè transfudit*. Quæ verba tamquàm *ex vetusto scriptore* deprompta, magni æstimat Iodocus Coccius in Dagoberto Rege

cap. 14.

cap. 14, neque aliud, quo nitantur, fundamentum ostenditur. In antiquo Breuiario Argentinensi, annis 1478 & 1489 excuso, celebratur XXVI Octobris festum *S. Amandi Episcopi Argentinensis*, Lectionibus, quæ ad Matutinum recitantur, ex Vitâ S. Amandi Episcopi Traiectensis desumptis: vnde alijs videtur errandi occasio data, maximè quòd eodem die etiam colatur S. Amandus Traiectensis ob translatas eo die Reliquias. Infrà lib. 4 texemus catalogum Episcoporum Argentoratensium, qui tribus seculis ante regnũ DAGOBERTI isti Ecclesiæ præfuerunt.

VI

Regnum Neustriæ & Burgundiæ DAGOBERTO *delatum. Pars Aquitaniæ Chariberto fratri permissa. Sedes regni primis annis apud Austrasios. Epocha regni Austrasiorum. Sclaui & Auares. Illorum Rex Samo an ex Belgio oriundus?*

MOrtuo *Chlothario anno regni sui* XLV, Christi IↃCXXVIII, DAGOBERTVS, inquit Fredegarius cap. 56, *iussit vniuersis leudibus, quos regebat in Auster, cum exercitu promouere. Missos in Burgundiam & Neuster direxit, vt suum deberent regimen elegere.* Quod primò *omnes Pontifices & leudi Burgundiæ* fecerunt: dein & *Neustrasiæ Pontificum & Procerum plurima pars. Cumq;*, inquit cap. 57, *regnum Chlotharij, tam Neptrici quã Burgundiæ, præoccupasset* DAGOBERTVS, *captis thesauris & ditioni suæ redactis; consilio sapientum vsus, Chariberto fratri suo cõcessit pagum Tolosanum, Caturcinum, Agennensem, Petrocoreum*

reum & Santonicum, vel quod ab his versùs montes Pyrenæos excluditur. Qui *Sedem Tolosanam elegens, in parte prouinciæ Aquitanicæ regnauit.* Erat is natus matre Sichildâ sorore Gomadrudis vxoris DAGOBERTI. Hic reuersus Metas, perrexit ad VIII vsque annum post obitum patris & apud Austrasios habitare, & cœptam ab initio regni annorum Epocham continuare. Nicolaus Zyllesius par. 3 defensionis Abbatiæ S. Maximini pag. 9 vulgauit *diploma* DAGOBERTI, *datum Moguntiæ pridie Nonas Aprilis anno regni* XII, quod *Henricus Cancellarius ad vicem Ricolfi Archicapilani recognouit*, adiuncto signo Regis ex litteris nominis DAGOBERTI, secundùm æui illius morem, efformato, cum effigie eiusdem, & circumpositis his verbis: DAGOBERTVS REX D+ GRACIA. Annus hic XII regni secundùm Æram apud Austrasios cœptam, conuenit in annum Christi IOCXXXII. aut sequentem: nec potest applicari calculo regnorum eius à morte Chlotharij patris incepto. Nam *anno* XI *regni* Neustriæ, vt tradit Fredegarius cap. 75, *Sigebertum filium suum in Auster regnum sublimauit:* cuius in diplomate illo annus debuisset apponi, non DAGOBERTI, qui illud regnum abdicârat.

Ceterùm apud Fredegarium sex illorum annorum, quibus ab obitu patris DAGOBERTVS apud Austrasios moratus est, vacuum est, & inconcinnè initium capitis LVIII dispositum his verbis: DAGOBERTVS *cùm iam anno* VII *regnaret, maximam partem patris, vt iam memini, assumpsit*, id est, post maximam partem regni patris assumptam, *Burgundias ingreditur* &c. Quæ verò ad illud vsque tempus egerat, sub finem capitis summatim repetuntur: *Vsque eo tempore*, inquit, *ab initio, quo regnare cœperat, consilio primitus beatissimi Arnulfi Metensis vrbis Pontificis & Pippini Maioris-Domus vsus,*

ſus, tantâ proſperitate regale regimen in Auſter regebat, vt à cūctis gentibus immenſo ordine laudem haberet. Timorem verò ſic fortem ſua concuſſerat vtilitas, vt iam deuotione arriperent, ſuæ ſe tradere ditioni, vt etiam gentes, quæ circa limitem Auarorum & Sclauorum conſiſtebant, eum prompte expeterent, vt ille poſt tergum eorum iret feliciter, & Auaros & Sclauos ceteraſq; Gentium nationes vſque manu publicâ, ſuæ ditioni fiducialiter ſpondebat, Hac laude gloriæque ſplendore cumulandus S. Arnulphus Epiſcopus, cuius ſanctis moribus ac præceptis hactenùs inſtitutus fuerat DAGOBERTVS. Sed pergit Fredegarius: *Poſt diſceſſum B. Arnulfi* ad eremum, *adhuc conſilium Pippini Maioris-Domus & Chuniberti Pontificis vrbis Coloniæ vtens, & ab ipſo fortiter admonitus, tantâ proſperitate & iuſtitiæ amore cōplexus, vniuerſas ſibi ſubditas gentes, vſque dum ad Pariſius, vt ſuprà memini, peruenit, regebat, vt nullus de Francorum Regibus præcedentibus ſuâ laude fuiſſet præcellentior.* At ſolùm antè dixerat, DAGOBERTVM poſt obitum patris anno VII veniſſe Pariſios, is eſt annus Chriſti IↃCXXXIV: ad quod vſque tempus DAGOBERTVS feliciſſimè, & necdum luxuriæ vitiis corruptus, apud Auſtraſios vixerat.

Intereà S. Amandus creatus Epiſcopus ad prædicandum vbiuis gentium Euangelium, fundandaſque Eccleſias, per S. Aicharium Epiſcopum Nouiomenſem impetrauit epiſtolas DAGOBERTI Regis, quibus munitus intrepidè fidem Chriſti Gandauenſibus annuntiauit: quod factum eſſe anno Chriſti IↃCXXXI diximus ad huius Vitã VI Februarij §. 10 pag. 831. Notitia eidem tunc quoque inita in reliquo Bracbanto, pago Senonago, ac vicinâ Hasbaniâ: in quibus locis degebant B. Pippinus Maior-Domus DAGOBERTI, pater SS. Gertrudis & Beggæ; Walbertus parens SS. Waldetrudis & Aldegundis; Witgerus, à quo progenitæ SS. Gudila &

Rainildis; omnes viri Principes, atque in aulâ DAGOBERTI Regis magno in honore habiti. Est autẽ pagus seu Comitatus Senonagus in antiquo Bracbanto à flumine Sennâ *Sennegavv* dictus, vti ab Hainâ *Hainegavv*, à Mosâ seu Masâ *Masegavv*. Exoritur Senna prope oppidum *Sonegiam*, quasi *Sennonegiam* appellatum, vulgò *Sennick*, Gallico sermone *Soignies*, ac dein interluit illustrem Belgij Principum ac Gubernatorum sedem *Bruxellas*: quæ vrbs num huic etiam fluuio suam debeat nomenclationem, non disputo. Est Põtisara, Gallis *Pontoise*, Vexini Francici oppidum, cui pons Oesiæ siue Isaræ fluminis nomen dedit: an *Bruxella*, in antiquis chartis *Brughsella*, quasi *Bruchsenna* eodem modo appellata? Ita Brabantiæ eiusdem aliud oppidum, eisdem litteris mutatis, Thena Gallis Tillemontium dicitur. Sed his omissis, præerat Sclauis antè indicatis *Samo*, *anno Chlotharij* XL, Christi IↃCXXIII, *in Regem electus*, vt tradit Fredegarius cap. 48, *natione Francus, ex pago Senonago* oriundus. Acceptâ horum Sclauorum eorumque Regis Samonis notitiâ, S. Amandus vltra Rhenum Danubiumque profectus est anno IↃCXXXIII, æstuans desiderio aut hanc gentem eiusque Regem ad fidem Christi adducendi, aut martyrij palmam consequendi. Potuit litteris consanguineorum Regis in dicto pago Senonago habitantium, & religione Christianâ iam antè institutorum, instructus hoc iter feciſſe S. Amandus. Dicebantur hi Sclaui cognomento Winidi ac Carentani, & occuparant prouincias transdanubianas, Carinthiam, vulgò *Karndt*, Marchiam Winidorum, & Sclauoniam hactenùs appellatas: quibus vicini Auares Chuni Pannoniam inferiorem detinebant, ab iis Hungariam dictam. Ibi *circa limitem Auarorum & Sclauorum* Marchiones constituti sunt, è quibus in Annalibus Fuldensibus ad annum IↃCCXCIII est

qui-

quidam *Engiscalcus*, ab Arnulpho Imperatore, cuius is filiam habebat vxorem, *Marchensis in Oriente* factus: quales tum *Marchiones*, posteà *Archiduces Austriæ* dominatum tenuerunt. De *Marca* istic *ordinatâ* à *Ludouico seniore Rege Germaniæ* legendi iidem Annales Fuldenses ad annum IↃCCCLXI.

VII

Sedes posteà DAGOBERTI *vrbs Parisiorum. Gomadrudis repudiata. Nanthildis aliæq; Reginæ & concubinæ adscitæ. Filij S. Sigebertus & Chlodoueus* II. *Regnum Austrasiorum S. Sigeberto datum.*

MOrtuo Chlothario, populi Neustriæ & Burgundiæ annos regni DAGOBERTI ab hac successione numerare cœperunt: cuius vestigium extat in testamento S. Burgundoforæ fundatricis ac primæ Abbatissæ monasterij Eboriacensis in diœcesi Meldensi, ab eâ *S. Pharæ* vulgò appellati. Edidit illud Labbeus in Miscellaneis curiosis cap. 3 § 5 hoc exordio: *Anno quinto, regnante Domino* DAGOBERTO *Rege gloriosissimo sub die* VII *Kal. Nouemb.* Progreditur ab anno VII regni Neustriæ, Christi IↃCXXXIV, Fredegarius. DAGOBERTVS, inquit cap. 58, *Burgundias ingreditur. Tanto timore Pontifices & Proceres in regno Burgundiæ consistentes, seu & ceteros leudes aduentus* DAGOBERTI *concusserat, vt à cunctis esset mirandus. Pauperibus iustitiam habentibus gaudium vehementer inrogauerat. Cumq; Lingonas ciuitatem veniisset, tantam in vniuersis Leudibus suis, tam sublimibus quàm pauperibus, iudicabat iu-*

 stitiam,

stitiam, vt crederetur omnino Deo fuisse placibile, vbi nullum intercedebat præmium, nec personarum acceptio, nisi sola dominabatur iustitia, quam diligit Altissimus. Deinde adgressus Diuionem, imoq; & Latona residens aliquantis diebus, tantam intentionem ad vniuersum regni sui populum iustitiâ iudicandum posuerat. Huius benignitatis desiderio plenus, nec somnum capiebat oculis, nec cibo satiabatur, intentissimè cogitans, vt omnes cum iustitiâ receptâ de conspectu suo læti remearent. Hæc ibi cum illustri commendatione piæ institutionis, quâ apud sanctissimos viros Arnulphum & Chunibertum Episcopos, ac Pippinũ Maiorẽ-Domus fuisse DAGOBERTVM formatum ex eodem capite Fredegarij retulimus. Sed pergit idem auctor: *Eodem die, quo de Latonâ ad Cabillonum deliberârat properare, priusquàm lucesceret, balneum ingrediens, Brudulfum auunculum fratris Chariberti interficere iussit, qui ab Amalgario & Arneberto Ducibus & VVillibado Patricio interfectus est.* Erat Brudulfus, frater Sichildis secundæ vxoris Chlotharij, & Gomadrudis ipsius DAGOBERTI vxoris: quem cap. 56 dixerat *voluisse Charibertum nepotem in regnum stabilire*, atque *aduersùs* DAGOBERTVM *cœpisse muscipulare.*

Interfecto Brudulfo, DAGOBERTVS (verba sunt Fredegarij) *Cabillonum iustitiæ amore, quam cœperat, perficiendæ intentionem dirigit: pòst per Augustidunum, Autesioderum pergens, per ciuitatem Senonas Parisius venit, ibiq; Gomadrudem Reginam in Romiliaco villâ, vbi ipsam in matrimonium acceperat, relinquẽs, eò quòd esset sterilis, cum consilio Francorum, Nanthildem vnam ex puellis de monasterio, in matrimonium accipiens, Reginam sublimauit.* Aimoinus cap. 19 *Nanthildem à monasterio raptam* tradit. Monachus San-Dionysianus, solùm *puellam speciosissimi decoris* appellat, silentio præteriens Regis libidinem, quam cap. 60 ita depingit Fredegarius: *Luxuriæ super modum deditus.*

tus. Nam tres habebat maximè ad instar Reginas, & plurimas concubinas. Reginæ verò hæ fuerunt, Nanthildis, Vulfgundis & Berthildis. Nomina concubinarum, eò quòd plures essent, increuit huic Chronicæ inseri. & hoc postquàm ab anno regni Neustriæ VIII, Christi IↃCXXXV *in Neptrico*, id est Neustriæ regno, *sedem patris sui Chlotharij deligẽs, assiduè residere disposuit, cũ omnis iustitiæ, quam priùs dilexerat, fuisset oblitus, cupiditatis instinctu super rebus Ecclesiarum & Leudium, sagaci desiderio vellet omnibus vndique spoliis nouos implere thesauros.* Eadem tradit Aimoinus. Ob hanc DAGOBERTI Regis incontinentiam culpatam, S. Amandum fuisse in exilium missum, tradunt Vitæ eius scriptores. Eodem *anno* VIII, tempore verno, *cùm* DAGOBERTVS *regio cultu Auster circuiret, quamdam puellam Ragnetrudem stratui suo adsciuit, de quâ eo anno habuit filium nomine Sigebertum ... Pippinus verò eo anno cum Sigeberto filio* DAGOBERTI *ad Charibertum Regem accessit. Charibertus Aurelianis veniens, Sigebertum de sancto lauacro suscepit.* Hæc Fredegarius cap. 59, 61, & 62, & dein alia refert eodẽ anno VIII, Christi IↃCXXXV, peracta, quo *Legati* DAGOBERTI, *quos ad Heraclium Imperatorem direxerat, nomine Seruatus & Paternus, ad eumdem reuertuntur, nuntiantes pacem perpetuam cum Heraclio firmasse.... Ægà verò à ceteris Neptrasius consilio Dagoberti erat assiduus.*

Anno IX regni Neustriæ, Christi IↃCXXXVI, vt tradit Fredegarius cap. 67; *Charibertus Rex moritur, relinquens filium paruulum, nomine Chilpericum, qui nec post moram defunctus est. Fertur factione* DAGOBERTI *fuisse interfectus. Omne regni Chariberti vnà cum VVasconiâ* DAGOBERTVS *protinùs suæ ditioni redegit*, factus totius Francici imperij monarcha.

Eodem anno inter Samonem Regem Sclauorum & DAGOBERTVM bellum est exortum, quòd *Sclaui*, inquit Fredegarius, *negotiantes Francorum cum plurimâ multitudine interfecissent*,

cissent, & rebus expoliassent. Missus initio ad res repetendas Sicharius, sed quòd superbiùs ageret, de conspectu Samonis est eiectus. DAGOBERTVS mox triplicem aduersùs Sclauos concitauit exercitum, Langobardorum, Alamannorum, Austrasiorũ. Austrasij re parùm prosperè gestâ diffugerũt. *At plurimum numerum captiuorum de Sclauis Alamanni & Langobardi secum duxerunt. Multis post hæc vicibus VVinidi in Thoringiam & reliquos vastando pagos, in Francorum regnum irruunt. .... Istam victoriam non tantùm Sclauiuorum fortitudo obtenuit, quantùm dementatio Austrasiorum, dum se cernebant cum* DAGOBERTO *odium incurrisse, & assiduè expoliarentur.* Hæc Fredegarius, qui cap. 74 aliam Winidorum irruptionem in Thuringiam, anno sequenti, Christi IↃCXXXVII, regni Neustriæ X factam refert: quando Saxones se Francorum limitem conseruaturos addixerunt, modò Rex, quod pendere consueuerant tributum, non exigeret. *Quingentas*, inquit idem auctor, *vaccas inferendales singulis annis à Chlothario seniore censiti reddebant, quod à* DAGOBERTO *cassatum est.*

Cum his non obstantibus, *VVinidi iussu Samonis fortiter sæuirent, & sæpe transcenso eorum limite, regnum Francorum vastando, Thoringiam & reliquos pagos ingrederentur,* DAGOBERTVS *anno regni* XI, Christi IↃCXXXVIII, *Metis vrbem veniens, cum consilio Pontificum, seu & Procerum, omnibusq; Primatibus regni sui consentientibus, Sigebertum filium suum in Auster regnum sublimauit, sedemq; Mettis ciuitatem habere permisit. Chunibertum Coloniæ vrbis Pontificem, & Adalgiselum Ducem Palatij ad regnum gubernandum instituit. Thesaurum, quod sufficeret, filio tradens, condignè (vt decuit) eum huius culmine sublimauit, & quodcumque eidem largitus fuerat, sigillatim præceptionibus roborandum decreuit. Deinceps Austrasij eorum studio limitem & regnum Francorum contra VVinidos vtiliter defensare noscuntur.* Hæc Frede-

Fredegarius cap. 75. qui cap. 76, occasione Chlodouei nati, regnum Austrasiorum nouâ pactione stabilitum scribit, his verbis: *Cumq; anno* XII *regni* DAGOBERTI, *eidem filius, nomine Chlodoueus, de Nonthilde Reginâ natus fuisset, consilio Neustrasiorum, eorumq; admonitione, per pactionis vinculum cum Sigeberto filium suum firmare dinoscitur, & Austrasiorum omnes Primati, Pontifices ceteriq; Leudes Sigeberti, manus eorum ponentes, insuper sacramentis firmauerunt, vt Neptricum & Burgundia solidato ordine ad regnum Chlodouei post* DAGOBERTI *discessum aspiceret. Auster verò, idemq; ordine solidato, eoq; quod & de populo & de spatio terræ esset coæquans, ad regnum Sigeberti, idemq; in integritate deberet aspicere, & quidquid ad regnum Austrasiorum iam olim pertineret, hoc Sigebertus Rex suæ ditioni regendum reciperet. & perpetuò dominandum haberet, excepto Ducatu Denteleni, qui ab Austrasiis iniquè abstultus fuerat, iterum ad Neustrasios subiungeretur, & Chlodouei regimini subiiceretur. Sed has pactiones Austrasij terrore* DAGOBERTI *coacti, vellent nollent, firmare visi sunt, quod posteà temporibus Sigeberti & Chlodouei Regibus conseruatum fuisse constat.* Hæc Fredegarius: ex quibus auersus ab Neustrasiis animus Austrasiorum perspicitur, quod infrà in successoribus manifestiùs perspicietur.

VIII

Maiores-Domus DAGOBERTI *B. Pippinus & Æganes. Referendarij, seu Cancellarij, Godefridus, Henricus, Chrodobertus, S. Audoënus. Monasterium S. Dionysij dotatum. Primi illius Abbates. Diplomata discussa.*

QVi DAGOBERTO Regi adfuerunt intimi, maximeque honorati ministri, sunt aut Maiores-Domus, qui vniuersis palatij rebus inuigilabant, aut Referendarij, ita dicti, teste Aimoino lib. 4 cap. 41, *quòd ad eos vniuersæ publicæ deferrentur conscriptiones, ipsique eas annulo Regis, siue ab eo sigillo sibi commisso, munirent, firmarentque.* Maior-Domus, vsque ad annum Christi IↃCXXXV, regni DAGOBERTI post obitum patris VIII, id est, quamdiu apud Austrasios vixit, palatio eius præfuit B. Pippinus Dux, de cuius sanctissimâ vitâ agimus XXI Februarij die eius natali. Postquàm Rex Parisiis, quæ sedes Chlotharij patris vltima fuerat, domicilium fixit, *Æganem præ ceteris Neptrasiis consilio* DAGOBERTI *fuisse assiduum* tradit Fregedarius cap. 72. *Ipse namque*, vt dicitur cap. 80, *inter ceteros Primates Neptrici prudentiùs agens, & plenitudine sapientiæ imbutus, cunctis erat præcellentior. Eratque genere nobili, opibus abundans, iustitiam sectans, eruditus in verbis, paratus in responsis: tantummodò à pluribus blasphematus, eò quòd esset auaritiæ deditus. Facultates plurimorum, quæ iussu* DAGOBERTI *in regno Burgundiæ & Neptrico inlicitè fuerant vsurpatæ, consilio Æganis omnibus restaurabantur*, dum ab obitu illius *regnum Chlodouei*

filij

filij *& palatium condignè gubernaret.*

Inter Referendarios, quos Cancellarios posteà appellarunt, primus refertur Godefridus anno regni Austrasiorum sexto, secundus Henricus, anno eiusdem regni XII, quando diplomata suprà relata consignarunt. Postquàm sedem regni Parisiis statuit, primus Referendarius videtur fuisse Chrodobertus, ille idem, qui in bello Sclauico Dux Alamannis præfuit anno Christi IↃCXXXVI, & anno sequenti obtulit diploma regium, quo infrà lib. 4 dicemus S. Desiderium fuisse *Idibus Aprilis* Episcopum Cadurcensem denominatum. Præcipuus & maximi nominis Referendarius fuit S. Audoënus, cuius meminit Fredegarius cap. 98 ad annum Dagoberti XIV, Christi IↃCXLI, & virum laudat *sanctæ religionis sectantem.* Idem faciunt monachus Sandionysianus cap. 39, & Aimoinus lib. 4 cap. 29, qui ait eum *religiosæ vitæ testimonium habuisse.* Auctor Vitæ S. Audoëni de dignitate Referendarij hæc habet: *S. Audoënus cognomento Dado, Auricularij locum in aulâ Regis sortitur. Ipse etiam ad signanda scripta, vel edicta regalia, quorum ipse conscriptor erat, sigillum vel annulum Regis custodiebat.* Quo eum anno Rex ad hanc dignitatem euexerit, non sat liquet. Edidimus VI Februarij pag. 818 diploma DAGOBERTI I, quo S. Amando confirmat Elnonem donatum ad monasterij constructionem. Signatum diploma est *Parisiis Kalend. Maij anno regni* Neustriæ XI, Christi IↃCXXXIX, & *recognouit Gerardus Notarius ad vicem Dadonis Cancellarij.*

Iacobus Dubletius lib. 3 Antiquitatum monasterij S. Dionysij plures tabulas profert, quibus DAGOBERTVS Rex confirmat priuilegia dicti monasterij, aut varia eidem beneficia donat. Sed scatent subscriptiones enormibus mendis. Anno regni eius XXV aut XXX quædam diplomata signantur,

tur, & tamen XVI regni anno viuere desiit. *Eligius* anno regni eius V, X, XIV & XV subscribit *Episcopus*, & rursus anno XV, XXV & XXX *aurifaber*, vti & *Dado Episcopus Rotomagensis* anno regni V. Qui ambo tertio post obitum Regis anno tantùm ordinati sunt Episcopi. Eadem plerorumque Episcoporũ, qui plurimi memorãtur ratio est. *S. Arnulphus Episcopus Metensis*, qui relicto Episcopatu circa annum IↃCXXXI secessit in eremum, subsignat anno regni eius XIII, & XIV, & in priori cum *Chlodoueo filio Dagoberti*: cuius iterum diploma anno regni VII signat cum Gundoëno Comite Normanniæ & Charimundo Comite Flandrensi. Dubletius intereà testatur effigies DAGOBERTI & Chlodouei in sigillo cereo expressas videri appensas, quasi sic omnis dubitandi de sinceritate præcisa esset ansa. At vel ideò magis omnia suspecta. Alij sincerius esse censent diploma à Dubletio pag. 656 editum, cum hac subscriptione: *Ego* DAGOBERTVS *subscripsi*: *Dado obtulit. Datum die* III *Kal. Augusti anno* II *regni* DAGOBERTI, *Compendio feliciter in Dei nomine, Amen.* Agitur de mercatu annuo Idibus Octobris ad honorem S. Dionysij constituto: quem monachus S. Dionysij in Gestis DAGOBERTI cap. 36 tradit concessum anno XII DAGOBERTI, qui proinde annus esset restituendus. Neque Abbatum S. Dionysij in hisce diplomatis nomina omnem suspicionum materiam satis eximunt: quatuor omnino nominantur, *Aigulfus, Chunaldus, Dodo, Leobafarius*, quos hoc ordine primos illi monasterio præfuisse tradunt Dubletius & Claudius Robertus. Ex his *Aigulfus* memoratur in diplomate *anno* VIII & X *Dagoberti*: quo etiam X *anno Chunaldus* nominatur, vti *anno* XIV *Kalendis Augusti Dodo*: quo eodem anno *mense Octobri* iterum, quasi reuixisset. *Aigulfus* subscripsit, & dein *anno* sequente XV *Kalendis Nouembris*; quo tamen anno antè relatus

erat

erat III *Kalend. Augusti Leobafarius.* Sed rursus ad *annum Dagoberti* XXV, & XXX *Aigulfus* legitur, qui denuò signat anno VII Chlodouei: vt quatuor ab iis *Aigulfos* statui necesse sit: qui vnus *idemq;* sub DAGOBERTO & Chlodoueo vixit. DAGOBERTVS, teste Fredegario cap. 79, *ecclesiam S. Dionysij condignè ex auro & gemmis & multis pretiosissimis speciebus ornauit, & condignè in circuitu fabricare præcepit, patrocinium ipsius pretiosum expetens. Tantæ opes ab eodem & villæ & possessiones multæ per plurima loca ibi sunt conlocatæ, vt miraretur à plurimis. Psallentium ibidem ad instar monasterij Sanctorum Agaunensium instituere iusserat. Sed facilitas Abbatis Aigulfi eamdem institutionem noscitur refragasse.* Hæc Fredegarius, quem monachus S. Dionysij describit cap. 44. vti priorem partem Aimoinus cap. 33, qui cap. 41 tradit *anno* XIV *regni Chlodouei, Aigulfum loci illius Abbatem* fuisse, quem tres alij sub Chlothario & Childerico aut etiam DAGOBERTO iuniore secuti videntur.

Idem Aimoinus de ornatu ecclesiæ S. Donysij hæc enarrat cap. 20. *Inter alia Ecclesiarum Galliæ spolia, ex occasione basilicæ D. Dionysij exornandæ, direptas valuas fusili ære fabrefactas à templo S. Hilarij Pictauensis fertur abstulisse, Quas dum per Oceanum in Sequanam deuehi iussisset, vt per eam Parisius vsque ducerentur, vna earum fluuio absorptæ, nec postmodùm dicitur fuisse reperta.* Ceterum ornatum interiorem ex auro, gemmis, aliâque magni pretij materiâ à S. Eligio confectum, DAGOBERTO Rege impensas præbente, in huius Vitâ exponit S. Audoënus, tunc Referendarius Regis: à quo alius est *Chadoindus Referendarius*, qui, teste Fredegario cap. 78 Dux exercitus Burgundionum, anno XIV regni DAGOBERTI, Christi IↃCXLI, rebelles Wascones domuit, *quondam temporibus Theoderici Regis multis præliis strenuus probatus*, quando paruulus adhuc erat S. Audoënus circa annum IↃC natus.

Chadoindum Brunechildis post obitum Theoderici ad *Chlotharium direxit legatum*, apud eumdem Fredegarium cap. 40. At sub quo Rege, aut quâ occasione præfuerit sigillo, non liquet. Prætereà Vrsinum, Dodone Abbate S. Dionysij, diploma DAGOBERTI obtulisse refert Dubletius pag. 670, sed alius fortè Rex substituendus. Maior fides tribuenda iis, quæ monachus S. Dionysij in Gestis DAGOBERTI testimonio suo confirmat: à quo donationes ferme dicuntur anno regni XII & sequentibus factæ: imò quæ hic cap. 17 & tribus sequentibus narrat beneficia suo monasterio præstita, ad ea tempora referenda sunt, quibus post relictos Austrasios cœperat Rex apud Parisios habitare.

Quæ recenset Labbeus in Miscellaneis curiosis cap. 3 & 4 diplomata monasterio Milebeccensi apud Bituriges, & Prioratui sanctæ Crucis in siluâ Cuisiaco ac territorio vrbis Compendij à DAGOBERTO indulta, suis se subscriptionibus destruunt. Dona priori monasterio collata cum DAGOBERTO *filius Chlodoueus propriâ manu auctorizat & confirmat*, idque *anno ab Incarnatione Domini* IↃCXXXII, septem scilicet annis, antequàm nasceretur. Alterum diploma ita incipit: *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego* DAGOBERTVS *Chlotharij iunioris Francorum Regis filius, cùm post mortem patris glorioſissimè atque excellentissimè florerem.* Signant post DAGOBERTVM Regem *Flauius Archiepiscopus Remorum*, is scilicet qui anno IↃXXXV Concilio Aruernensi ac dein Aurelianensi IV ante annos centum interfuerat, *Eligius Nouiomensis Episcopus*, *Amandus Traiectensium Episcopus*, quorum ille anno III post obitum DAGOBERTI ordinatus est, hic constitutus Traiectensium Episcopus. Eiusdem farinæ sunt monumenta à Miræo lib. 2 Donationum Belgicarum cap. 1 & 2 edita, in quorum altero DAGOBERTVS Rex prædium Wasslare, siue

Wallare,

Wallare in siluâ Faniâ ad extruendum monasteriũ S. Landelino donat: in altero illud in suam protectionem suscipit S. Autbertus Episcopus Cameracensis: quæ *duo diplomata* rectè obseruat idem Miræus *videri aut posterioris ævi manu scripta, aut saltem immutata.* Quæ publicauit Iodocus Coccius in DAGOBERTO *Rege & Argētinensis Episcopatus fundatore*, ea maximâ ex parte pertinere ad DAGOBERTVM II, filium S. Sigeberti, infrà probabimus.

IX

Obitus DAGOBERTI *Regis. Chronologia stabilita. Auctorum quorumdam errores indicati.*

BEllum *à* DAGOBERTO *anno regni* XIV, Christi IↃCXLI, *rebellantibus VVasconibus* illatum, iisque *clementiâ* DAGOBERTI *vitam indultam anno* XV, Christi IↃCXLII, referunt Fredegarius cap. 78, monachus S. Dionysij cap. 36 & 42, Aimoinus lib. 4 cap. 28 & 31. Qui mox capitibus sequentibus addunt, DAGOBERTVM *profluuio ventris in Spinogelo villâ super Sequanâ fluuio laborare cœpisse, exinde ad basilicam S. Dionysij à suis delatum, anno regni sui* XVI exeunte, sub finem anni Chr. IↃCXLIII. Nam regno Neustriæ & Burgundiæ filio Chlodoueo tradito, eoque & Reginâ Nanthilde Maiori-Domus Ægani commendatis, ingrauescente morbo *humanis rebus exemptum esse* XIV *Kalendas Februarias*, obseruant in Gestis eius monachus S. Dionysij cap. 43, & Aimoinus cap. 43. Annus tum cœperat IↃCXLIV, qui primus Chlodouei II numeratur: cuius regnum eo anno initum solidissimè confirmat S. Audoënus, DAGOBERTI Regis antè Referendarius. Hic indicaturus,

turus, quem non poterat non optimè meminisse, annum & diem, quo Episcopi consecrati fuerant, ipse Rotomagensis, S. Eligius Nouiomensis, in huius à se editâ Vitâ testatur, ambos se *Apostolicam benedictionem meruisse eo tempore, quo apud Gallias à cuncto populo Rogationes celebrabantur.* Tum, inquit, *conuenientes simul in ciuitate Rotomagensi decimo quarto die mensis tertij*, siue Maij, *anno tertio Chlodouei, iuuenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias, inter cateruas populi, inter agmina Clericorum, inter choros psallentium, consecratisumus gratis ab Episcopis pariter Episcopi, ego Rotomago, ille verò Nouiomo.* Hæc S. Audoënus. Annus ab eo indicatur Chlodouei III, Christi IↃCXLVI, quo, cyclo Solis XI, litterâ Dominicali A, cyclo Lunæ I, Pascha celebratum fuit Lunâ XVIII, die IX Aprilis, & solennitas Christi in cælos adscendentis XVIII Maij, quam antecessit Dominica Rogationum, siue ante Litanias, XIV Maij. Quæ hactenùs à nobis traditam Epocham exactè confirmant.

Iuuenculus dicitur ab Audoëno *Rex Chlodoueus*, annum ætatis agens septimum, natus, vt diximus, anno Chr. IↃCXXXIX: & ita mutuus consensus auctorum, qui tum vixerunt, S. Audoëni, inquam, & Fredegarij, arctissimo vinculo Chronologiam connectit. Fredegarium sequuntur monachus S. Dionysij & Aimoinus: quorum *imprudentiâ duo regni* DAGOBERTI *primordia confusa* esse, non rectè arguit Petauius par. 2 Rationarij temporum lib. 4 cap. 17, dum scribit Clodoueum natum potiùs esse anno XII regni Austrasiorum, vt successoribus ætas constet, quâ liberos, quorum habentur genitores, procrearint. Quæ ratio infrà chronologiam posterorum DAGOBERTI stabiliet firmabitque. Hîc sufficit indicare, distinctissimè à Fredegario proponi à capite XLVII ad caput LV, quæ & Chlotharius & DAGOBERTVS in consor-

tem

tem regni assumptus egerunt: à quibus exactissimè secernit à capite LV ad LXXIX, quæ à morte Chlotharij fecit DAGOBERTVS. Idem in Gestis DAGOBERTI exequitur monachus S. Dionysij, dum huius, viuo patre, regni administrationẽ exponit à capite XII ad XV, atque inde ad caput XLIII quæ ab obitu patris gessit. Vtrumque sequitur Aimoinus, qui lib. 4 cap. 8 in regni partem à patre cooptatum DAGOBERTVM tradit, ac post huius obitum quæ egerit à capite XIV prosequitur. Et hi anno DAGOBERTI XII regni Neustriæ, ante obitum V, id est Christi IↃCXXXIX, exactissimè tradunt Chlodoueum natum esse, quibus ostendimus S. Audoënum, qui tum DAGOBERTI Referendarius erat, prorsus consentire.

Anonymus fabulator in Chronico, quod *Gesta Regum Francorum* inscribitur, omnem luxuriæ & incontinentiæ infamiam à DAGOBERTO *in Chlodoueum* filium, maritum S. Balthildis transfert; *S. Sigebertum & Chlodoueum* facit fratres germanos ex eadem *Nanthilde* natos: DAGOBERTVM *in Spinogelo villâ mortuum esse, & regnasse annos* XXXIV, & quidem, vt antè insinuârat, *Monarcham in totis tribus regnis*, vt constat ex capitibus 42, 43 & 44. Verùm licet concedamus hîc annos DAGOBERTI ab inito regno Austrasiorum numerari, tamen mortem eius cogemur differre ad annum Christi IↃCLIV. Simili mendâ annos eius XXV aut XXX diplomatis monasterij S. Dionysij ineptè appositos esse suprà ostendimus. Iuo Carnotensis annos regni illius scribit XLIV, quasi ad annum IↃCLXIV aut IↃCLXXI vixerit. Anno IↃCLXV mortuum esse tradit Trithemius in Historiâ Regum Francorum. In fragmento historico, quod Chronico Alberti Argentinensis à Christophoro Vrstitio præfixum est, & inter scriptores Francorum ab Andreâ Chesnæo recusum,

ita legitur: *Anno Domini* IↃCLXXIV DAGOBERTVS *Rex obiit, & filij eius duo regno substituuntur*. Reginonem diximus suprà, obitum eiusdem DAGOBERTI referre sub Imperatore Iustiniano II, Rhinotmeto dicto, qui patri Constantino successit anno IↃCLXXXV. Non ergo mirandum, si plures anni posterorum regnis eripiantur, vt tandem in Carolo Martello, Pippino & Carolo Magno annorum calculus ad legitimum ratiocinium reducatur. De reuelatione factâ cuidam seruo Dei, quâ vidit animam DAGOBERTI patrocinio Sanctorum liberatam, silet Fredegarius, agit monachus S. Dionysij cap. 45, & hunc secutus Aimoinus lib. 4 cap. 34. De nomine eius sacris Fastis alicubi adscripto infrà agemus. De variis monasteriis tempore DAGOBERTI, aut eo etiam expensas conferente, per regnum eius extructis, frequens dicendi occasio est in opere nostro de Vitis Sanctorum.

X

Anni Chlodouei II *filij* DAGOBERTI. *Chronicon Fredegarij finitum anno* IↃCXLVII. *Historia Francorum iussu Childebrandi Comitis scripta, ab* IↃCLXXXVII *inchoata. Defectus* XL *annorum in Annalibus antiquis quomodò supplendus.*

POST DAGOBERTI *discessum*, inquit Fredegarius cap. 79, *filius suus Chlodoueus sub tenerâ ætate*, quinque scilicet annos natus, *regnũ patris adsciuit. Omnes Leudes de Neuster & Burgũdiâ eum villâ Massolaco sublimant in regnum. Æga verò cum Reginâ Nan-*

Nanthilde, quam DAGOBERTVS *reliquerat, regebat palatium.* Ægâ anno tertio pòst febri extincto, *Erchinoaldus, consanguineus* DAGOBERTI, *Maior-Domus efficitur. Anno* IV *in regno Burgundiæ Maior-Domus stabilitur Flaocatus*: qui, *Nanthilde Reginâ mortuâ, eodem anno mense Septembrio contra VVillebaldum Patricium pugnando conflixit. In eo certamine VVillebaldus interfectus est.* Post cuius necẽ *vndecimo die Flaocatus, iudicio Dei percussus, febre interiit.* Hæc pluribus cap. 90 Fredegarius: quo capite Chronicon finit ad annum regni Chlodouei IV, Sigeberti X, Christi IↃCXLVII: neque enim Chronicõ vltra caput LXXXX produxit, reliquis, quę deinde subnectuntur, ab nõ vnico auctore, neque eodem tempore conscriptis.

Ad hanc de Fredegario opinionem plurima nos mouent. Primò, quæ solius sunt Fredegarij, ea sola extant *in vetustissimo codice Iacobi Sirmondi Societatis Iesu vncialibus litteris exarato*, vt ante hoc Chronicon præfatur Andreas Chesnæus. Dein in eodem Chronico typis Wichelianis in Corpore historiæ Francicæ anno CIↃIↃCXIII cuso, ea post præfationem tantùm Capitula recensentur, quæ nos solùm à Fredegario conscripta arbitramur. Prætereà Aimoinus, quamuis historiam suam Francorum, vt in præfatione fatetur, *ad id temporis, quo Pippinus pater Caroli Magni regnare cœpit*, decreuisset deducere, eam tamen cum Chronico Fredegarij à nobis limitato finit, sagaciter perspiciens, se fidelibus ac solidis historicis, quos sequeretur destitui. Denique Fredegarium stylus & modus scribendi ab Continuatoribus planè distinguit. Ille, vt monet in prologo, imitatus Gregorium Turonensem, per annos Regum res gestas digerit; isti annis illis omissis, maximè disparata hoc similiúe modo loquendi connectunt: *igitur, quoque, hisce diebus, eodem tempore* &c. Ille procul à Galliis res ab Imperatoribus, Langobardis,

bardis, Hiſpanis aliiſque geſtas interſerit; hi ſolùm quæ Frãcorum ſunt, nar rant, &, vt varij fuerunt auctores, diſpari ſtylo ac fide.

Qui vltimam partem iuſſu Childebrandi Comitis ſcripſit, *Hiſtoriam vel geſta Francorum* appellat, non, vt Fredegarius, *Chronicon*: atque ea potiſſimùm attingit, quæ videntur ſpectare ad familiam Childebrandi, qui capite CIX dicitur *germanus Caroli Martelli*, & ad finem iſtius partis, *auunculus Pippini Regis*. Incipit autem illa pars à capite XCVII: in quo mox legitur, *mortuo Vulfoaldo Duce*, qui Maior-Domus erat, *Pippinum* Herſtallum patrem Martelli ſucceſſiſſe, quod cõtigit anno Chriſti IↃCLXXXVII. inter quem annum & IↃCXLVII. quo Chronicõ Fredegarij deſinere diximus, vacuum interuallum eſt XL annorum. Tertius ergo acceſſit qui Chronicon Fredegarij alteri hiſtoriæ, iuſſu Childebrandi Comitis ſcriptæ, annectere voluit: vtque διάστημα XL annorum ſuppleret, proximum caput XCI de Chlodoueo II paucis verbis decerpit ex Geſtis DAGOBERTI à monacho S. Dionyſij ſcriptis: quibus mox deficientibus, confugit ad apocrypha Geſta Regum Francorum, quæ dum ſummâ incuriâ contrahit, ſuam in hiſtoricâ antiquitate inſcitiam prodit. In illis Geſtis poſt obitum Chlotharij III hæc cap. 45 leguntur: *Theudericus autem frater eius Rex eleuatus eſt Frãcorum. Childericus itaque alius frater eius in Auſtriá vnà cum Vulfoaldo Duce regnum ſuſcipere perrexit.* Quæ ita in illo ſupplemento contracta ſunt: *Theodericus verò frater in Auſtraſiâ à Francis in regnum eleuatus eſt apud VVulfoaldum Ducem.* En quanta vtriuſque regni confuſio. Sed quamuis omnia & ſingula verba inde accuratè forent deſumpta, eamdem mererentur cenſuram, nec digna eſſent, quæ ad illam lacunam explendam adhiberentur. Sunt ergo XL anni, qui neque in

vllo

vllo antiquo Chronico, neque in aliquâ veteris scriptoris historiâ per successionem Regum deductâ explanantur. Desinunt ad illa tempora Fredegarius & Aimoinus. Paucula in Gestis DAGOBERTI de vltimis annis Chlodouei filij attinguntur: de S. Sigeberto & Austrasiis altum silentium. Illo eodem hiatu absorptum est regnum Austrasiorum DAGOBERTI II, recisi x anni Chlotharij III, plures Childerici fratris. Aliunde interuallum illud explendum est. Acta Sanctorum variorum illo eodem seculo scripta illustre supplementum conferunt, confirmant ipsorum Regum genuina diplomata, & similia veterrimorum scriptorum, quibus fides tutò adhiberi potest, sincera monumenta.

In supplemento illo cap. 92 post constitutum ab obitu Chlodouei Chlotharium III Regem, hæc adduntur: *Eodem quoque tempore mortuus est Erchanualdus Maior-Domus Palatij. Franci autem in incerto vacillantes, accepto consilio Ebrainum in huius honoris curam ac dignitatem statuunt.* Quæ eisdem penè verbis in Gestis Regum Francorum habentur cap. 44 & 45. Verùm aliquot ante *Regem Chlodoueum* annis *Erchenoaldum repentè extremum efflauisse spiritum*, scribit in Vitâ S. Eligij Audoënus. Successor eius *Radobertus* subscripsit *Maior-Domus* Præcepto Chlodouei de libertate monasterij S. Dionysij x Kalendas Iulij anno regni illius XVI, Christi IOCLIX: quo aut breui defuncto, aut fortè per illam Francorum vacillationem submoto, substitutus est *Ebroinus*: à quo *Maiore Domus, & Chlodoueo Rege* punitos esse interfectores *S.* Aigulfi Abbatis Lirinensis docent huius Acta antiqua, à Vincētio Barrali Salerno in Chronologiâ Lirinensi edita. Eumdem Ebroinum sub mortem Chlodouei & initium regni Chlotharij III fuisse Præfectum palatij docet auctor coæuus in Vitâ S. Bathildis Reginæ verbis infrà proferendis.

Anno regni Chlodouei XVIII, Christi IↃCLXI, *Leodebodum Abbatem S. Aniani, & fundatorem monasterij Floriacensis laudabilis vitæ cursum sancto fine concluſisse* legitur in antiquis monumentis, cum huius testamento editis à Carolo Sausseyo lib. 4 Annal. Ecclesiæ Aurelianensis cap. 1 num. 14. Monachus S. Dionysij, relatis pro monasterio suo XXII Iunij anni regni XVI signatis donationum tabulis, tandem cap. 52 & vltimo scribit, *Regem Reliquias S. Dionysij minùs religiosè* attrectantem, *in amentiam decidisse*; sed quantum temporis post datum diploma ante hanc amentiam contractam interfuerit, non exponit. *Post hæc* addit, *vt sensum Rex recuperaret, villas quasdam illi loco traditas esse, & reliquias auro, gemmisq; miro opere vestitas. Sed sensum ex aliquantulâ parte recuperantem, non autem integrè recipientem, post duos annos vitam cum regno finiuisse.* Quibus verbis finiunt Gesta DAGOBERTI Regis. Hinc in Fredegarij Chronico suppleto *Chlodoueus in extremis vitæ annis amens effectus, vitâ caruit, regnauitq; annos* XVIII, quibus omnino expletis, mortuus est anno ætatis XXIV, Christi IↃCLXII.

XI

Chlothario III *anni regni* XIV *vindicati ab anno Epochæ vulgaris* IↃCLXII, *ad* IↃCLXXVI. *Anni regni* DAGOBERTI I *confirmati.*

CHlodouei II fuerunt tres filij, *Chlotharius* III, *Childericus, & Theodericus*, quos *in morte eius paruulos* fuisse testatur in Vitâ S. Eligij Audoënus. Horum *natu maiorem Chlotarium illicò suscepisse regnum sub tutelâ S. Bathildis matris* tradit

in

in huius Vitâ auctor coæuus. In huius Regis chronologiâ rectè disponendâ haud parum operæ per annos aliquot collocaui, cùm viderem annos regno eius quatuor tantùm à posterioribus omnibus chronologiæ atque historiæ Francorum scriptoribus assignari; & tamen, vt plures eius regno assignentur anni, antiquorum & coæuorum testium auctoritatem clarissimam grauissimamque euincere. Nam primò *quintum* annum regiminis indicat concessum monasterio Corbeiensi diploma regium, siue, vt istic appellatur, *Præceptum*, de huius monasterij ab omnibus teloneis immunitate. Integrum legitur tomo 1 Conciliorum Galliæ ex peruetusto codice Virdunensi à Iacobo Sirmondo editum. Eius clausula ita habet: *Vt hæc præceptio firmior habeatur, & per tempora conseruetur, nos & præcelsa genitrix nostra Domna Baldechildis, Regina maxima, nostris signaculis subter eam decernimus adfirmare. Signum glorioſi Clotharij Regis. Signum præcelsæ Baldechildis Reginæ. Data sub die* XXIII *mensis Decembris anno quinto regni nostri.* Is est annus Christi IↃCLXVI.

Duo alia diplomata regni annum *sextum* exprimunt: horum alterum confecit *S. Audomarus Episcopus Teruanensis*, quo *basilicam S. Mariæ Sithiuensis* tradidit *S. Bertino Abbati sub die* XVIII *Maij*, VI *regni Domni Chlothacarij Regis.* Integrum habet Iacobus Malebrancus in Scholiis ad lib. 4 de Morinis cap. 3. Eiusdem meminit in MS. Chronico Bertiniano Ioannes Iperius capitulo 1 parte 10, titulo de Fundatione ecclesiæ S. Mariæ: qui dein titulo de Concambio quarumdum terrarum inter SS. Bertinum & Mommolenum tunc Episcopum Nouiomensem, aliud diploma allegat hoc exordio: *Dum & nos Dominus in solio Patrum* &c. hac verò clausulâ, *Actum sub die Kalend. Februar. anno* VI *regni nostri.* Iperius, quòd regno Chlotharij *anni quatuor* tantùm

passim

passim tribuerentur, addit, *hæc duo priuilegia data fuisse anno sexto regni Chlotharij: sigillum enim regium nec fallere nec falli.* Vbi clarè innuit se primigenia diplomata ac sigillum regium coràm inspexisse, & diligenter examinasse.

Septimum regno annum assignat *Bertefridus Episcopus Ambianēsis* tomo I Conciliorum Galliæ, vbi concedit *monasterio Corbeiensi* priuilegium libertatis à plurimis Episcopis subscriptum *sub die* VII *Idus Septembris anno* VII, *regnante Chlothario Rege.* Ex Actis S. Wandregisili eumdem VII annum Chlotharij mox communiemus.

Statutos hactenùs Chlotharij annos præclarè promouet Vrsinus in Vitâ S. Leodegarij Episcopi Augustodunensis, quam iubente Ansoaldo Pictauorum Episcopo, & vrgente Audolpho Abbate S. Maxentij, qui ambo viuente adhuc S. Leodegario, eum dignitatis gradum obtinuerant, ipse eruditissimo viri iudicio conscripsit. Vitam illam elimato nonnihil stylo, vt præfatur, edidit Surius II Octobris, atque ex illo Chesnæus tomo I Historiæ Francorum. Nos eamdem primogenio stylo ex quatuor optimæ fidei codicibus MSS. nacti, huc paucula conferimus. Ita ergo scribit: *Cùm quidam Pater ex monasterio, quod est situm in honore S. Maxentij, obisset, iussu Pontificis Pictauorum Didonis, auunculi sui, idem suscepit Leodegarius regendum, quod per sex ferè annos strenuè rexit, illudq; magnis opibus dilatauit. Sed cùm iuxta suum Pontificem idoneum se præparasset, & clarus haberetur præ omnibus, odor eiusdem suauitatis intantùm processit, vt vsque ad palatium Regis redoleret. Erat enim eodem tempore minor Chlotharius cum Baldhilde matre Rex, Francorum regens regnum, qui agnitâ eius prudentiâ, cupientes eum secum habere in aulâ regiâ, petierunt Pontificem, vt habitâ ipsius licentiâ, cùm ipsis esset in palatio. Qui statim iussa complens, magnis rebus ditatum, & sapientiæ floribus adornatum, obtempe-*

rans

rans eorum voluntati, destinauit ad palatium; quem Rex atque Regina videntes, honorificè susceperunt. Qui in paucis diebus tam dulcia sua verba & bonitatem ostendit intantùm, vt Rex simul atque Regina & plerique Pontifices ac Proceres supra omnes eum in amorem susciperent. Et quia eum videbant dignum ad suscipiendum honorem, cunctorum consensu, præcipuè Francorum, ad honorem Pontificalem eum esse idoneum proclamarunt. Quem ad hoc electum omnes Augustiduno, quæ est Æduorum ciuitas, fecerunt Pontificem. Quam cùm per annos decem strenuè gubernaret, eodem tempore Rex Chlotharius, qui eum Episcopum constituerat, defunctus est. Hæc Vrsinus, ex quatuor, vt diximus, præclaris codicibus MSS. cùm summo assensu *in decem annis* assignatis, quos Surius ita expressit: *Quo munere* Episcopali *decem annis strenuè cùm functus esset, Chlotharius Rex, qui eum promouerat, excessit è viuis:* iam pridem ante hos Episcopatus illius *decem annos* Rex erat Chlotharius, cùm S. Leodegarius & Abbas esset S. Maxentij, & deinde in aulâ degeret, eò ab ipso Chlothario euocatus. Hoc indicat odor boni nominis ex Aquitaniâ vsque ad Regis palatium redolentis. Hoc exigit etiam perfecta eius in aulâ viuendi ratio, quâ ipse ex Aquitaniâ accersitus, Procerum animos sibi tantoperè conciliârat.

Quæ simul cum Chlothario aduocârat S. Leodegarium Bathildis mater, eadem inter regni administrationem anno regni illius VII vnà contulit priuilegium, quod à Bertefrido Episcopo concessum fuisse monasterio Corbeiensi suprà monuimus. Ceterùm, vt Acta MSS. S. Bertilæ Abbatissæ Kalensis, danda IV Nouembris, tradunt, *S. Bathildis Regina monasterium Kalense puellarum construxerat, quatenùs cùm ad legitimam ætatem filius suus Domnus Chlotharius peruenisset, & regnum sibi commissum per semetipsum regere potuisset, tunc ipsa, relictâ*

lictâ curâ regali, sub religionis ordine in prædictum ingrederetur monasterium. Quod executa est *Chlothario filio adulto, cum consensu Optimatum suorum, & in monasterio supradicto sub obedientiâ Bertilæ se abdidit Abbatissæ.* Verùm, vt in ipsius Bathildis Vitâ legitur, *Primores & Proceres Francorum, vt cœnobialem vitam in monasterio duceret, differebant, quia eius sapientiâ palatium regebatur, & prosanctâ suâ conuersatione ab omnibus amabatur.* Iam verò se *ad legitimam ætatem peruenisse* anno regni sui XIV, tum annos XVII natum agnoscit S. Sigebertus Rex Austrasiorum patruus Chlotharij, in secundo diplomate donationum monasterio Stabulao & Malmundario factarum, à nobis ad Kalendas Februarias edito pag. 235: vt vel simili ætate adultus Chlotharius, matre in monasterium profectâ, regnum videatur solus administrasse; assumptâque dein maiore viuendi licentiâ, thori sociam, siue illicito concubitu, seu potiùs legitimo coniugio, adsciuerit. Nam à morte eius, fratrisque Childerici, *Ebroinus* eiusque asseclæ, *quemdam Chlodoueum paruulum, quem Chlotharij fuisse confinxerunt filium, in partibus Austri secum leuarunt in regnum*, vti infrà constabit ex alterâ S. Leodegarij Vitâ, Ermenario, eius in Episcopatu Augustodunensi successori, inscriptâ, editâque tomo 1 Historiæ Francorum Andreæ Chesnæi.

Adultam hanc Chlotharij ætatem præclarè confirmat S. Drauscius, siue Drauscio, Episcopus Sueßionensis, qui memorato antè priuilegio Bertefridi Episcopi anno VII Chlotharij indulto subscripsit. Hic aliud priuilegiũ, quod instar epistolæ inscripsit Bertefrido aliisque Episcopis, concessit monasterio B. Mariæ, potissimùm à Lentrude vxore Ebroini fundato, editum anno CIↃIↃCXXXIII à Melchiore Regnaldo in Epitome historicâ vrbis Sueßionis, fol. 2 Probationum

num, cuius hæc est clausula: *Actum Augustæ Suessionum, sub datâ sexti Kalend. Iulij anno decimo quarto regni Domini nostri Chlotharij glorioſissimi Regis.* Idem *Chlotharius*, vt legitur in Vitâ S. Wandregisili Abbatis, *fastigium regni post patrem Chlodoueum adeptus, rexit populum Occidentalium Francorum annis quatuordecim.* Ibidem in expositione eorum, quæ S. Bathildæ prædixerat S. Wandregisilus, additur: *Chlotharius maior natu quartum decimum regni agens annum, consortiis subitò caruit humanis. Childericus temerè ab insidiatoribus interemptus, à præsenti sublatus est vitâ. Tertius Theodericus matri superstes, regni susceptit gubernacula.* Quo regnante auctor Vitam illam inscripsit S. Lantberto eius successori, tunc Archiepiscopo Lugdunensi. Annos regiminis S. Wandregisili infrà probamus numerari *à die Kalend. Martiarum anni Chlodouei Regis* XI, Christi IↃCLIV, quo monasterium Fontanellense construi cœpit. Hinc consensus annorum Chlotharij cum epochâ Christi vulgari confirmatur. Nam *S. VVandregisilus*, vt in eius Vitâ legitur, *anno regiminis sui* XV, *adiit Chlotharium anno regni eius* VII, *& priuilegium regiæ confirmationis super aream cœnobij sui liberalissimâ datione accepit*: ergo anno Christi IↃCLXVIII aut initio sequentis. *Expleuit S. VVandregisilus annos regiminis* XIX, *menses* IV, *dies* XXI, *mortuus* XXII Iulij, seu XI *Kalendas Augusti*, ergo anno Christi IↃCLXXIII, qui annus XII *regni Chlotharij* statuitur in eius Vitâ. Annos ergo XIV regni Chlotharij ab anno Christi IↃCLXII cœptos, finimus cum anno IↃCLXXV aut initio sequentis IↃCLXXVI, quo primùm Theodericus, tum hoc pulso Childericus successerunt, ambo adultâ iam ætate, Childericus etiam ductâ ab aliquot annis in vxorem Bilichilde, matrimonio coniunctus. Secundùm hunc calculum nostrum à XIX Ianuarij anni IↃCXLIV, quo demonstrauimus DAGOBERTVM decessisse, ad

initium anni IↃCLXXVI, siue obitum Chlotharij III, est interuallum annorum XXXII, è quibus annos octodecim Chlodoueo II, & quatuordecim Chlothario III cum auctoribus coæuis aut certè illorum ætati vicinioribus vindicamus. Baronius obitum DAGOBERTI coniecit in annum IↃCXLVII, Chlodouei II in IↃCLXIV, post quem quarto anno statuit Chlotharium puerum anno IↃCLXVIII vitâ functum esse. At viri quidam eruditi volunt hunc regnasse ab anno IↃCLX, ad IↃCLXIV, assignatis regno Chlodouei solùm XVI, & Chlotharij IV annis. Præiuit fabulator celebris in Gestis Regum Francorum, cap. 45. *In his diebus*, inquit, *Chlotharius Rex puer obiit, regnauitq; annis quatuor.* Sed qui eius scriptoris sequi auctoritatem tutò se arbitrantur, an cum eo XXXIV annos tribuent Dagoberto?

LIBER II.

DAGOBERTVS II

REX AVSTRASIORVM.

ALter hic est DAGOBERTVS, prioris nepos: qui etsi regni amplitudine ac diuturnitate neutiquam par auo, pietate tamen & præclaris ad propagandam religionem operibus, nec ipsi, nec superiorum Regum vlli secundus fuit, si parentem eius Sigebertum, & fortassis Gunthramnum, exceperis, quorum vterque in Sanctorum tabulas relatus. Verùm decora isthæc pleraque ad auum sunt, alioſúe agnatos Reges, fœdè translata; Principúmne inuidentiâ, an potiùs ignorantiâ scriptorum, in ambiguo est. Ea nos illi vindicatum imus. Sed priùs ex Hiberniâ eum reducemus, quò adhuc puerum deportandum curârat Grimoaldi Ducis, vt ferunt, perfida ambitio, in Clericum attonsum vi aut dolo, necatis etiam forsan minoribus eius fratribus. Sed dedit mox pœnas tyrannus. Suffectus in regnum patruelis Childericus, huiusque educatio ac tutela, & regni administratio Imnechildi matri DAGOBERTI commissa.

missa. Ea sensim alumnum Regem induxit, vt in partem regni restitui DAGOBERTVM pateretur. Reuocatus igitur ab exilio, præfectus est Adrhenanis Francis, quæque illis subiectæ erant in Germaniâ nationes. Ipso deinde interempto Childerico, qui, fratre mortuo Chlothario, totius reliquæ Galliæ imperium tenebat; Austrasia reliqua se DAGOBERTO submisit, quamuis Theoderico fratre Childerici, atque Ebroino Maiore-Domus, bello ei obsistentibus. Multa ille, in Alsatiâ præsertim, illustria suæ pietatis monumenta erexit, quæ hîc prosequemur.

Hanc porrò vt aggrederemur commentationem de DAGOBERTI huiusce regno, quem plerique in exilio extinctum arbitrantur, auctor præcipuè nobis fuit ALBERTVS RVBENIVS, Regis Catholici arcano Concilio à secretis, vir nobilis, iuris ac litterarum, omnigenæque antiquitatis scientissimus: cuius humanitati plurimùm nos debere lubentes profitemur.

I

DAGOBERTI II *parentes S. Sigebertus & Imnechildis. Illius obitus. Exilium* DAGOBERTI.

Anctus Bonitus Aruernorum Episcopus partem ætatis in S. Sigeberti aulâ egerat, gratiosus & carus illi minister, primùm *Princeps pincernarum*, dein *annulo ex manu Regis accepto Referendarij officium adeptus*, vti scribit auctor coætaneus in eius Vitâ, ex tribus veteribus MSS. ad diem XV Ianuarij à nobis editâ, vbi num. 4 *filios* S. Sigeberto fuisse ostendit. Ex his solius DAGOBERTI, qui senior fuit, nomen exprimunt auctores: quem à Rege Sigeberto nomine patris sui fuisse appellatum adnotat Sigebertus Gemblacensis in Vitâ eiusdem S. Sigeberti, ad Kalendas Februarij à nobis illustratâ.

Natus est S. Sigebertus, primogenitus DAGOBERTI, anno, vt suprà diximus, regni DAGOBERTI in Neustriâ octauo, Christi IↃCXXXV, & Rex Austrasiorum constitutus anno regni illius XI, Christi IↃCXXXVIII: qui Imnechildem in matrimonium duxisse potuit circa an. Chr. IↃCL aut paullò pòst. Nihil enim certi tradunt auctores, cœptâ iam illâ XL annorum lacunâ Chronologiæ Francicæ, Annalibus Chronicisque antiquis deficientibus, ex alijs veteribus monumentis supplendâ. Hinc in obitus S. Sigeberti assignando tempore admodùm variant viri alioquin doctissimi. In tabulis Chronologicis ad Chapeauillæum de Episcopis Traiectensibus hæc leguntur ad *annum* IↃCLIV: *Sigebertus Rex Austrasiæ*

Austrasiæ moritur I *Februarij. Vita. Molan. & quidem* XVI *anno regni sui. Vignierius in Chronico Burgundiæ. Anno* XI *à morte patris. Baronius.* Tabulas illas sequuntur Bartholomæus Fisen, Iacobus Malebrancus, Autbertus Miræus aliique, sed non præiuerunt qui in iis indicantur auctores. Baronius & Vignierius defunctum tradunt anno IↃCLVIII; Vignierius præterea *annum regni* statuit XVI *vel* XVII. At Vita habet *obiisse Kalendis Februarij, ætatis suæ anno ferè tricesimo primo, regni vicesimo octauo, ab Incarnatione Domini anno sexcentesimo sexagesimo secundo, à transitu S. Martini anno ducentesimo sexagesimo tertio.* Molanus in Natalibus SS. Belgij ex Vitâ eosdem ætatis, regni, & epochæ Christi annos retinet. Sed qui tempore Sigeberti Gemblacensis, illius Vitæ auctoris, annus Christi numerabatur IↃCLXII, nobis annum à Ianuario inchoantibus esse sequentem IↃCLXIII sæpius monet Bucherius. Est autem hic annus Christi medius inter duos extremos adiunctis characteribus indicatos. Nam annus à transitu S. Martini CCLXIII, ex calculo alibi à nobis accuratè probato, conuenit in annum Christi IↃCLX, & contrà annus ætatis S. Sigeberti XXXI, eiusque regni XXVIII incidit in annum Christi IↃCLXVI. Quàm hæc procùl absunt ab anno IↃCLIV, quem illi auctores probandum susceperant! At post annum Christi IↃCLX S. Sigebertum aliquot adhuc annis vixisse confirmat Episcopatus S. Remacli Traiectensis, quem anno IↃCL susceptum decem annos administrauit, in Chronico MS. cœnobij Trudonensis expressos: eosque exigunt tum Acta S. Trudonis lib. 2 Diatribæ nostræ de Episcopatu Traiectensi cap. 6 citata, tum monasteria Stabulaus & Malmundarium à Rege Sigeberto anno VI Episcopatus S. Remacli extructa, & triennio pòst à S. Remaclo adhuc Episcopo Traiectensi dedicata: qui post annum

IↃCLX

IↃCLX relicto Episcopatu, ibidem annos aliquot vixit, quãdo & bina ei à Sigeberto signata sunt diplomata, quibus vtrũque monasteriũ regiè dotauit. In iis dicitur *vir venerabilis Remaclus Episcopus, Christo auspice, Abba præesse*, vt vel inde annus obitus Sigeberti in Actis indicatus necessariò inferatur. Quin & S. Sigebertus dum in secundo diplomate reuocat donationes à se factas, antequàm *ad legitimam peruenerat ætatem*, easque solùm ratas censet, quas *ab anno regni sui decimo quarto* concesserat, prouectiorem se ostendit, & plures post decimum quartum lapsos esse annos. Ipsa diplomata integra excusa sunt 1 Februarij pag. 234 & 235. Quibus omnibus collatis cum annis regni Chlodouei fratris, & huius filiorum Chlotharij III, Childerici & Theoderici, arbitramur obitum S. Sigeberti conferendum in Kalendas Februarij anni Christi IↃCLXIII, ætatis XXVIII, quando filius DAGOBERTVS potuit natus esse annos decem aut circiter, aptus qui in Clericum attonderi se pateretur, & procul extra Galliam ablegaretur.

Mortuo ergo S. Sigeberto, DAGOBERTVM filium, cui iure hæreditario regnum Austrasiorum debebatur, *factione Magnatum pulsum esse* tradit Willielmus Malmesburiensis lib. 3 de Gestis Põtificum Anglorum in Vitâ S. Wilfridi Archiepiscopi Eboracensis, ab Heddio Stephano (quem S. Wilfridus ex Cantio euocatum cantui Ecclesiæ suæ tradendo magistrum præfecerat) scriptâ. Ipsum autem S. Wilfridum fuisse DAGOBERTO singulari amicitiâ coniunctum infrâ constabit. Porrò inter Magnates, à quibus ablegatus est DAGOBERTVS, auctoritate & potentiâ præualebat *Grimoaldus Maior-Domus*, qui in eâ dignitate B. Pippino patri suo anno IↃCXLVI, mortuo successerat. Huius ergo aliorumque Magnatum factione *in Clericum attonsum esse* DAGOBERTVM

tradunt Acta SS. Audoëni Archiepiscopi Rotomagensis, & Remacli Episcopi Traiectensis, Sigebertus in Chronico & in Vitâ S. Sigeberti, Auctor anonymus in Fragmento, quod Chronico Alberti Argentinensis in MSS. præfixum reperit ediditque Christophorus Vrstitius tomo 2 Rerum Germanicarũ pag. 74 & ex eo Andreas Chesnæus tomo 1 Scriptorum Francię pag. 782. *Grimoaldus* ergo *filium Sigeberti, nomine* DAGOBERTVM, *Didoni Pictauensi Episcopo detonsum sub custodiâ direxit*, vti narratur in libello vetusti scriptoris de Maioribus-Domus Regiæ. Aut certè *attõsus est* DAGOBERTVS *consilio Didonis Episcopi Pictauensis, & per manum ipsius Didonis in Scotiam directus ad peregrinandum*, vti legitur in Actis S. Sigeberti apud Chesnæum ex MS. Petauij, in Chronico Sigeberti, apud Continuatorem Aimoini lib. 4 cap. 42, aliosque. Per *Scotiam* intelligit Malmesburiensis *Hiberniam insulam, ex quâ* DAGOBERTVM *ad se venientem hospitio recepit S. Vvilfridus*. Erat eâ ætate, seu pactis fœderibus, seu solùm ingenuâ hospitalitate, Galliæ arctè deuincta Hibernia, vt vltro citroque frequentissimi commearent. Ita *Agilbertum*, dein Episcopum Parisiensem, *in Hiberniâ non paruo tempore legendarum gratiâ Scripturarum demoratum fuisse*, tradit Beda lib. 3 cap. 4. At, qui DAGOBERTVM in Hiberniam deduci curauit *Dido*, erat *ex præcelsâ & nobilissimâ Francorum progenie ortus*, à Chlothario Rege, cùm vniuersæ Francorum monarchiæ præesset, datus Pictauensibus Episcopus, patruus S. Leodegarij, à cuius sorore prognatæ dein fuêre Bildechildis vxor Childerici Regis, & Bersuinda mater S. Odiliæ, Didonis proneptes, vti tradunt Vrsinus in Vitâ S. Leodegarij, Auctor Vitæ S. Odiliæ, memoratus antè anonymus ab Vrstitio editus. Adde Leudesium, qui consilio Leodegarij factus fuerat Maior-Domus, patrem fuisse *Adalrici*,

siue

siue *Athici*, patris S. Odiliæ. Ex quibus familiaris Episcopi Didonis cum Grimoaldo & Magnatibus Austrasiis notitia coniici facilè potest.

II

Reges Austrasiorum, Childebertus intrusus, dein Childericus sub tutelâ Imnechildis amitæ, matris DAGOBERTI. *Huius ab exilio reditus, & regnum in Alsatiâ & confiniis. An in Thuringiâ habitârit?*

DAGOBERTVM factione Procerum relegatum esse *exilio irreuocabili* aiũt Acta S. Sigeberti apud Chesnæum, proque eo in *regnum Austrasiorum* intrusum *Childebertum filium Grimoaldi*: à quo S. Niuardum Archiepiscopum Remensem Ecclesiæ suæ à teloneis aliisque tributis immunitatem impetrasse, atque ab eius patre Grimoaldo villas Calniciacum & Victuriacum S. Remigio oblatas tradunt Flodoardus lib. 2 Historiæ Ecclesiæ Remensis cap. 7, & Auctor Vitæ S. Niuardi Kalendis Septembris. Huic Childeberto in breuissimo Chronico Regum Austrasiorum tomo 1 Chesnæi pag. 781 tribuuntur VII *anni*, quot ille annos haudquaquam regnauit. Annus illi integer aut sesquiannus in Chronico Sigeberti assignatur. Vt autem regnum Childeberti magis firmaretur, duplex perditiones Austrasiorum sparsus rumor est; scilicet DAGOBERTVM vitâ functum esse. Ita post obitum Childerici fratrem eius *Theodericum defunctum* etiam esse, *cum sacramento omnes asseruisse* infrà exponemus

ex Vitâ S. Leodegarij. Alter vulgatus rumor, Childebertũ, pridem à Sigeberto Rege fuisse adoptatum regni Austrasiorum hæredem, si ipse liberos non reliquisset. Vnde posteriores scriptores, sumptâ errandi occasione, arbitrati videntur Sigebertum diu prole caruisse. Auctor Vitæ S. Boniti XV Ianuarij scribit num. 4 *post obitum Sigeberti, filiisq; defunctis, pronepotem eius*, imò nepotem ex fratre, Childericum nomine, *suscepisse sceptra Austrasiorum: cuius conspectui ita paruit gratus Bonitus, vt eligeretur Iudex præfecturæ Massiliæ primæ prouinciæ.*

De regno Austrasiorum in Childericum translato hæc scribit coæuus Auctor in Vitâ S. Bathildis Reginæ, huius matris, ex MSS. à nobis XXVI Ianuarij editâ: *Deo iubente Rex Chlodoueus*, inquit, *vir eius migrauit à corpore, relictâque sobole filiorum cum matre, suscepit illud filius Chlotharius quondam Francorum regnum.... Tunc enim & Austrasij pacifico ordine, ordinante Domnâ Bathilde, per consilium quidem Seniorum, receperunt Childericum filium eius Regem Austri.* Quando etiam *iuxta Domnæ Bathildis magnam fidem, Deo gubernante, ipsa tria regna* Neustriæ ac Burgundiæ sub Chlothario, & Austrasiæ sub Childerico *inter se tenebant pacis concordiam.* At Grimoaldum captum Parisios deductum, carceri inclusum, perque varios cruciatus vitam finiuisse, plures tradunt scriptores. Factum id labente anno DCLXIV, cùm iam Chlotharius altero anno in Neustriâ regnaret.

Quæ fuerat S. Sigeberto vxor Imnechildis (& filio abducto in Hiberniã, forsan Parisios fugerat, opem imploratura contra regni inuasorem) dein cum Childerico adolescentulo Austrasios rexit, à quibus regni illius anno II, Kalendis Augusti, impetrauit S. Amandus monasterium Barisiacum in agro Laudunensi. Donationis diploma edidit Miræus

lib. I

lib.1 Diplomatum Belgicorum cap. 3, sed pro Reginâ Imnechilde substituitur Bildechildis, quæ eidem Childerico posteà, virilem adepto ætatem, vxor fuit. Labbeus in Miscellaneis curiosis cap.4 § 3, quòd in diplomate legatur, eũ *propter imbecillam ætatem minimè potuisse subscribere*, & tantùm *manu propriâ subterſignasse*, nomen *Bildechildis* debere abesse ratus, iudicauit substituendam esse *Baldechildem* matrem Childerici, sed hæc cum Chlothario seniore filio, etiam adolescentulo, Neustriam regebat & Burgundiam : neque propter *Austrasiorum æmulationem* (de quâ alibi) tam amplâ dominatione potuisset illius quoque partis administrationi intendere. Antiquus Codex noster MS. in Appendice ad Vitam S. Amandi tradit *cellulam, quæ vocatur Barisiacus, cum adiacentibus sibi appendiciis Childericum Regem & Imnechildem Reginam illi condonasse*. Quæ etiam refert Chesnæus tomo 1 pag. 647. In codice MS. Amandino ita legitur: *Childericus Rex Francorum & Chinechildis Regina, viro illustri Bertuino Comiti.* & sub finem: *Signum Childerici Regis. Chinechildis Regina subscripsi. Datum sub die Kal. August. anno* 11 *regnante Domno nostro Childerico Rege.* Quæ *Chinechildis* eadem est *Imnechildis*, cuius expuncto ex ignorantiâ nomine, substituta est *Bildechildis*. Eam Childerici donationem ratam habuit post Ludouicum Pium Lotharius Imperator, petente *Adalleodo viro venerabili Abbate monasterij S. Amandi*, vti in diplomate legitur, quod sic incipit : *In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei æterni. Hlotharius Diuinâ ordinante prouidentiâ Imperator Augustus. Si postulationibus fidelium nostrorum iustis & rationabilibus Diuini cultus amore fauemus.... quatenùs villam, quam pridem Childericus Rex prædictæ Ecclesiæ ob communem inibi degentium Fratrum commoditatem delegauerat in pago Laudunense, quæ olim Barisiacus dicebatur* &c. & *recognouit Eichardus ad vicem*

Agilmari. Eiusdem Reginæ Imnechildis consilio traditur etiam Childericus fundasse Monasterium in valle S. Gregorij in Alsatiâ superiore, vulgò *Munster in S. Gregorien-thal.* Huius fundationis meminerunt Munsterus in Cosmographiâ, Matthæus Merianus in Topographiâ Alsatiæ, Sanmarthani lib. 4 Genealogiæ Francicæ cap. 5, rati Imnechildem fuisse priorem vxorem Childerici, & materteram S. Odiliæ, quæ Bilichildis fuit, vnica illius coniux.

Imnechildis ergo summæ prudentiæ Regina, non solùm pro Childerico adolescentulo regnum Austrasiorum administrauit, sed etiam postquàm is adoleuit, iamque ductâ Bilichilde, vxore, regnum administrabat, illum adhuc fideli consilio iuuit, ac tandem pro eodem, in Neustriam euocato, Austrasiis imperauit. Potuit denique eadem Regina & Childerico nepoti regnum adseruare, & DAGOBERTO filio, ex Hibernià reduci, in locis magis remotis partem regni adsciscere, & inter vtrumque Regem pacem concordiamque fouere.

Reditum DAGOBERTI, regnique paterni portionem receptam his verbis indicat Malmesburiensis ex Heddio Stephano, vt suprà diximus, auctore coætaneo: *Iamq; se,* inquit, *verna temperies aperiebat in flores, cùm VVilfridus* Archiepiscopus Eboracensis *itinere reincepto ad* DAGOBERTVM *Regem Transrhenanorum Francorum venit. Is non immemor, quòd eum quondam factione Magnatum pulsum, & de Hybernià ad se venientem, hospitio receperit, & equis sociisq; adiutum patriæ remiserit; benignè habuit, multisq; precibus fatigauit, vt prouinciam remanentiâ suâ dignaretur, Episcopatum Strateburgensem accipiens. Cùm ille rogantem ad reditum suum Româ distulisset, cum Deodato Episcopo suo ire laxauit.* Erat S. Wilfridus in summo honore apud varios insulæ Britanniæ Reges, Wulfherum Merciorum,

ciorum, Egbertum Cantiorum, & maximè Oſwium eiuſque filium Alcfridum Nordhumbrorum: ordinatus in Gallià anno IↃCLXIV Epiſcopus, ſed non niſi anno IↃCLXVIII ad finem vergente ad Sedem Eccleſiæ Eboracenſis admiſſus, ac decennio pòſt expulſus. At Rex DAGOBERTVS circa annum IↃCLXX, aut priùs aliquantò, à Wilfrido videtur in patriam remiſſus: nec diu pòſt matrimonio iunctus, varios, vt infrà dicetur, liberos procreauit. S. Arbogaſtum dein ad Epiſcopatum Argentoratenſem promouit: quem Epiſcopatum S. Wilfrido obtulerat; cuius hoſpitalitatis aliorumque *quondam* acceptorum beneficiorum dicitur *Rex non immemor* fuiſſe.

Illac porrò iter Romam versùs inſtituit S. Wilfridus, vt inſidias *Ebroini Ducis Francorum* & *Theoderici Regis* declinaret, *quibus à Britanniâ mandatum erat, vt VVilfridum Epiſcopum caperent & ſpoliarent.* Et verò *Adalgiſum* Friſiæ *Regem gentilem ad necem vel expulſionem viri Dei Ebroinus epiſtolis tentauit, aurum immenſum pollicitus*: ſed *irritus fuit*, vt deinceps narrat idem Malmesburienſis, qui ideò videtur DAGOBERTVM *Regem Tranſrhenanorum Francorum* appellare, quia hoc iter per illius ditiones vltra Rhenum ſitas confecerat S. Wilfridus, Vltraiecto (vt credibile eſt) Argentoratũ. Wimphelingus in Vitâ S. Arbogaſti DAGOBERTVM *Francorum Germanicorum Regem glorioſiſſimum*, & in Vitâ S. Florentij, itidem Argentoratenſis Epiſcopi, *Germanorum Regem* appellat. Eſt autem Argentoratum, antiqua Tribocorum vrbs, Germaniæ primæ in Notitiâ Imperij attributa, Argentina poſteris, Strateburgum, & Strasburgum appellata, & antiquæ Galliæ adſcripta. Vrbem hanc perlabitur Bruſcha non ignobilis Alſatiæ fluuius, poſtquàm oppida Dachſtenium & Molshemium alluit, vnde haud procul diſtat

Kirche-

Kirchemium, *palatium* DAGOBERTI, in quo eum *domicilium fixisse* Acta S. Florentij indicant: & ipse DAGOBERTVS infrà in diplomate *regalem suam habitationem* nuncupat: & passim historici confirmant. Inter DAGOBERTI Transrhenanas ditiones Thuringia fuit, in earum extremo limite, à Theoderico I Rege Austrasiorum olim subiugata. Cui à DAGOBERTO I Dux præpositus Radulfus, fœdere cum Winidis inito, contra S. Sigebertum rebellauit: quam lo egregiam S. Sigeberto operam nauauit Ænoualaus Comes Sigiontensis, vti auctor est Fredegarius cap. 87. Apud Thuringos DAGOBERTVM è regno expulsum cùm coniuge suâ habitasse tradit ex Chronicis MSS. Matthæus Merianus in Topographiâ Archiepiscopatus Moguntini, agens de Heiligenstadio Eichsfeldiæ vrbe primariâ, quem locum sua exordia DAGOBERTO debere aiunt, castrumque istic extructum, quod *Antiquum-burgum* etiamnum appelletur: eidemque diuinitus ostensas Reliquias *SS. Aurei* & *Iustinæ* Martyrum, ob quorum memoriam *Heiligenstadt* loco nomen sit factum, quod vrbē, vel locum sanctum aut Sanctorū sonat; atque ob basilicam liberalibus impensis ædificatam, & collegium Canonicorum amplâ dote instructum: etsi eorum quædam à posteris, potissimùm B. Rabano & Willigiso Archiepiscopis Moguntinis, credantur adiuncta. An mox à suo ex Hiberniâ reditu illic aliquamdiu habitârit, indeque in Alsatiam euocatus sit, nolumus ex nudâ coniecturâ pronuntiare. Ad certiora properamus.

III *Paci-*

III

Pacificè regnatum à patruelibus, DAGOBERTO *in Alsatiâ & trans Rhenum, Childerico in reliquâ Austrasiâ. Huius coniux Bilichildis ab Imnechilde matre* DAGOBERTI *diuersa. Episcopi Argentoratenses Ansoaldus & Rodharius. Monasteria extructa à SS. Deodato, Hildulpho, Arbogasto, Florentio.*

REgnum Childerici reuisamus, apud quem, etiam matrimonio iunctum, degebat prudentissima Regina Imnechildis, Regis DAGOBERTI mater. Dedimus Kalendis Februarij illustre Childerici Regis diploma, quo donationes monasteriis Stabulensi & Malmundariensi à S. Sigeberto factæ confirmantur: cuius diplomatis aliud exemplar Bambergâ nobis transmisit Ioannes Gamansius noster ex archiuo Ecclesiæ Bambergensis, vbi aliquæ S. Remacli Reliquiæ adseruantur, descriptum: ex illo nonnulla huc transferimus.

Childericus Rex Francorum, Emnechildis & Bilihildis gratiâ Dei Reginæ, cùm viris illustribus Gundoino Duce, & Hodone Domestico. Ad æternam procul dubio mercedem credimus pertinere, si petitionibus Sacerdotum vel quorumlibet deuotorum iusta petentium perducimus ad effectum. Igitur Domnus & Pater noster Remaglus Episcopus Clementiæ regni nostri petiit pro monasteriis suis Stabelau siue Malmundario, quæ bonæ recordationis auunculus noster Sigebertus quondam Rex suo construxit opere. Vnde & ipsius Principis regiminis tale præceptum nobis ostendit relegendum . . . .

vt per consilium Pontificum ipsius temporis, id est, Chuniberti, Nemoriani, Gisloaldi, cùm illustribus viris, Grimoaldo, Fulcoaldo, Adregisilo, Bobono, Ducibus, Chlodulfo, Ansegisilo, Gariberto Domesticis, taliter actum fuit . . . Vnde iussimus pro hac re Domno & Patri nostro Theodardo Episcopo, vel inlustri viro Hodoni Domestico, cùm forestariis nostris ipsa loca mensurare & designare per loca denominata . . . vt absque vllius impugnatione forestariorum vel cuiuslibet personæ, liceat ipsam familiam Dei quieto ordine residere, & pro vitâ nostrâ & stabilitate regni Francorũ die noctuq; Domino famulari. Et vt hæc præceptio nostra in membranis conscripta, firma & inuiolabilis perseueret; manu nostrâ subter eam decreuimus adfirmare. Signum glorioſi Domni Childerici Regis. Signum Emnechildis Reginæ. Signum Bilihildis gratiâ Dei Reginæ. Signum Gundoini Ducis. Data quando fecit mensis September dies VI, *anno* VIII *regni Domni Childerici Regis. Traiecto feliciter.*

Annus is Christi est IOCLXXII: quo tempore florebat, in diplomate nominatus, Theodardus Episcopus Traiectensis, anno IOCLXXVI palmam martyrij adeptus. Reliqui Pontifices sunt S. Chunibertus Colonienſis, S. Nemorianus, aliis Numerianus, Treuirensis, & Gisloaldus Virdunensis. Dux Gundoinus, qui Regias tabulas etiam signauit, videtur ille esse, quem Ansigisus ad maximos militiæ honores promouit, à quo dein miserè peremptus est; quemque filius eius Pippinus, necem paternam vltus, interemit; vti infrà iterum dicetur. Ceterùm huius donationis meminerunt, tum Childerici frater, Rex Theodericus, & huius filius Chlodoueus III, quorum monumenta infrà damus, tum Imperatores Otto II & Henricus II, ac Pontifex Romanus Leo IX, vti ex eorum diplomatis infrà citandis constabit: sed potissimùm Ludouicus Pius Imperator, in cuius priuilegio ipsum Childerici diploma totidem ferè verbis repetitur, *Detulerunt nobis,*

his, inquit, *Præceptum Childerici Regis, in quo continebatur, qualiter vir sanctus, Remaglus scilicet nomine, qui nunc eodem in monasterio requieſcit, detulisset ei præceptiones Sigiberti Regis: in quo erat insertum, qualiter easdem cellulas nouo opere construxisset, & de suâ foreste duodecim leugas vndique mensuratas, siue quæ infrà erant, pro Diuino amore concessisset. Sed prædictus Pater magis diligens quietè Domino seruire, quàm tumultuosam seculi perturbationem perpeti, deprecatus est eumdem Childericum Regem, vt sex leugas eis subtraheret, propter quietudinem monachorum ibidem consistentium, & sex eis per suum Præceptum confirmaret, atque vndique designari iuberet. Sicut & idem Rex libenter procurauit, id est, de monasterio Malmundario vsque Siccum-Campum.* Ac dein longo ordine loca finitima per circuitum in vtroque diplomate assignantur, & tandem *ad Siccum-Campum* determinatio reducta completur. Hæc ibi. Claram ergo atque indubitatam hæc omnia diplomata sibi inuicem adstruunt fidem. Præcipuum ad ea, quæ diximus, roboranda, primo inest pondus, cui subscripserunt post Childericum Regem, Emnechildis Regina vidua S. Sigeberti, & mater DAGOBERTI Regis, Bilichildis Regina, vxor Childerici, ab illâ prorsus diuersa.

Duo in Catalogo Bruschij referuntur Episcopi Argentoratenses, à Childerico Rege constituti, qui saltem tempore regni eiusdem eam Ecclesiam administrarunt: *Ansoaldus*, qui fortè primos eius attigerit annos, & *Rodtharius Ducali origine & stemmate natus*, atque *ex regiæ curiæ Magistro ac strenuo equestris ordinis viro Episcopus*. Quo tempore *S. Deodatus Episcopus Niuernensis extruxit monasterium Vallis-Galileæ ad Mortam fluuium*. Et hæc *certissima esse, & vetustis diplomatibus etiam demonstrari* addit Bruschius. In Vitâ S. Deodati (quæ auctoritate Leonis IX Pontificis anno Christi CIOXLIX

approbata, in Ecclesiâ solebat legi, & anno CIↃIↃCXIX Nanceij pleniùs est excusa) hæc traduntur: *Liberalis munificentia Childerici excellentissimi Regis à fisco abscissam eamdem Vallem-Galilæam, cum omni integritate, viro Dei successoribusq; eius, annulo suo firmauit in æuum.* Vtinam illud diploma obtineri posset! Aliud concessit S. Deodato S. Numerianus Archiepiscopus Treuirensis, in quo expetit pro Childerico Rege preces fundi. Illius solam inscriptionem producit Ioannes Ruerus par. 3 Antiquitatum Vosagensium lib. 1 cap. 1, estque eiusmodi: *Dominis sanctis & summi culminis Apostolici Pontificalis Cathedræ speculæ præsidentibus, in Christo fratribus Chidulpho, Clodoaldo, & Eborino Episcopis comprouincialibus, Numerianus Archiepiscopus, supplex & fidelis vester præsumit mittere salutem.* Fuerunt autem hi Episcopi *Chidulphus*, aliis *Chlodulphus*, Metensis, *Clodoaldus*, suprà *Gisloaldus*, Virdunensis, *Eborinus* Tullensis. Quæ tres Sedes, eæque solæ, subsunt Archiepiscopatui Treuirensi. Eum Archiepiscopatum, mortuo S. Numeriano, suscepit S. Hildulphus: qui, vti idem Ruerus in antiquioribus MSS. legi testatur, priuilegia, immunitatesque à S. Numeriano, & Pontificibus Romanis datas, S. Deodato confirmauit: dein mitrâ positâ eremiticam vitam elegit, arctissimo amicitiæ vinculo S. Deodatum complexus, & Medianum monasterium ad eumdem Mortam fluuium extruxit, cui simul & Valli Galilææ à morte Deodati præfuit.

Præceteris comites S. Deodato adhæsisse feruntur Arbogastes, & Florentius, quorum prior in sacro nemore, quod Teutonico idiomate Heiligisforst vocitatur, eremiticâ vitâ est functus, indeq; ad Episcopatum Argentinæ ciuitatis raptus: cui decedenti alter à solitudine Hasale abstractus, successor est datus. Ita Acta S. Deodati, quæ stylo nonnihil emendato edidit Surius ad XIX Iunij.

apud

apud quem ita legitur: *Præ ceteris comites fuerunt Arbogastus & Florentius* &c. Auctor fragmẽti hĩstorici Chronico Alberti Argentinensis apud Vrstitium præfixi, tradit *B. Arbogastũ & Florentium circa annum Dominicæ Incarnationis* IↃCLXXIII *claruisse*, scilicet quando apud Austrasios regnabat Childericus, & apud Francos Rhenanos DAGOBERTVS filius S. Sigeberti. Acta S. Arbogasti ex duplici codice MS. hæc habent: *Tradunt namq; S. Arbogastum in temporibus* DAGOBERTI *Regis, cùm sancta Ecclesia longè lateq; flores doctrinæ Catholicæ suauè redolentes diffunderet, & verbum Dei vsquequaque properè curreret, de Aquitaniâ progressum*, primò, vt diximus, in *Heiligisforst* eremiticâ vitâ functum, dein *Diuino nutu (quod posteà signis testantibus patuit) Argentinensis Ecclesiæ Cathedram consedisse, susceptumq; culmen regiminis felici gubernatione diu rexisse. Qui beatus Christi Sacerdos præfato Regi amicâ familiaritate adeò est innexus, vt eo intra Regalem aulam adscito, illius alloquio, quasi mellis dulcedine degustatâ delectaretur, & consilio vteretur.* Hæc ibi, quæ eadem referuntur in Breuiario Argentinensi anno CIↃCCCCLXXXIX excuso, ac recitari solent XXI Iulij, die S. Arbogasti cultui dicato. Auctor huius Vitæ videtur esse Vtho, ordinatus anno IↃCCCCL Episcopus Argentoratensis, à quo scriptam esse Vitam S. Arbogasti tradunt Eisengreinius in Catalogo testium veritatis, Possevinus, Vossius, aliíque.

Arbogasto successit S. Florentius, ei anteà vitæ eremiticæ, ac dein monasticæ, socius & amicus, cuius Vitam ex codice MS. Bodecensis Canonicorum regularium in Westphaliâ monasterij, & eodem antiquo Breuiario Argentinensi, edemus VII Nouembris: in quâ hæc leguntur: *Temporibus namq; illustris Francorum Regis* DAGOBERTI, *præclarus Pater Florentius ineffabili tam odore quàm decore virtutũ floruit... adsci-*

tis sibi eiusdem sancti propositi sociis, Arbogasto videlicet, Theodato atque Hildolfo, . . . fines attigit Alsatiæ, & eo locorum, vbi riuulus, qui ab incolis Haselach nuncupatur, Vosago terminum ponens, fluuio cui nomen Bruscha est, illabitur, manendi sibi requiem elegit. Prædictis itaque sociis eius ab ipso recedentibus, non longè à riuulo repertâ planitie consedit. Similia referuntur in eiusdem Florentij Vitâ breuiore, ex MS. Colonienſi edendâ, quæ ita incipit: *Temporibus* DAGOBERTI *Regis S. Florentius, comitantibus secum S. Arbogasto, Theodato atque Hildolpho, de Scotiâ venit in Alsatiam.* Eneadem tempora antè indicata confirmantur; quibus Childericus (in cuius ditione degebant SS. Deodatus & Hildulfus) gubernabat Auſtraſios, & DAGOBERTVS populos Alſatiæ, in quâ Vitam eremiticam egerunt SS. Arbogaſtus & Florentius. Bruſcha flumen, vltra oppida Dachſtenium & Molshemium, non procul à Mutzighemio amnem Haſelam illabentem ſuſcipit, vbi monaſterium Haſela, ſiue Haſla Rex DAGOBERTVS fundauit. Qui inde versùs confinia Palatinatus è regione Badenſis ditionis Sura fluuius in Rhenum influit, Suraburgo, quod alluit, nomen dedit: vbi collegium Canonicorum, quod monaſterium eſt *Heligc-forſt* olim dictum, fundatorem agnoſcit S. Arbogaſtum, intra limites Alſatiæ & ditiones DAGOBERTI Regis. At ſupra Bruſchæ fontes, Morta flumen eſt, iuxta quod extruxerunt S. Deodatus monaſterium *Vallem-Galilæam*, nunc *S. Deodati*, vulgò *S. Die*, nuncupatum, & S. Hildulfus *Medianum monaſterium*, vulgò *Moien-moſtier*. Quæ loca, vti hoc tempore Ducibus Lotharingiæ, ita tum Childerico Regi ſubiecta erant.

IV

Childericus Neustriæ Rex factus. Huius successor Theodericus. Ab Austrasiis assumptus Chlodoueus. Regnum DAGOBERTI *in Alsatiâ. Aduentus S. VVilfridi Episcopi.*

MOrtuo Chlothario III, Neustriæ ac Burgundiæ Regi, successit tertius frater Theodericus. Dein hoc paullò pòst pulso Childericus, qui anno regni Austrasiorum XII, Christi IↃCLXXVI, vnà imperium Neustriæ obtinuit, quod ita demonstratur. Baldericus lib. I Chronici Cameracensis cap. 27 edidit diploma donationis monasterio Maricolensi ad Helpram in Hannoniâ fluuium à S. Humberto Abbate factæ, aliquantò correctius relatum à Miræo in Codice Donationum piarum cap. 5, quod nos ex autographo, ipsius Humberti sigillo munito, descriptum habemus, hoc exordio: *Anno duodecimo regni Domni nostri Hildrici glorioſi Regis, ego in Dei nomine Humbertus.* interponitur apud Baldericum XV *Kalendas Aprilis*, quo die fuisse datum, aliunde potuit didicisse. Annum illum XII regni in IↃCLXXVI cõuenire confirmat in clausulâ diplomatis, *subnixa adstipulatio idoneorum testium, Domni videlicet Vindentiani Episcopi & Fulberti fratris Humberti.* Nam (vt ex tabulis antiquis sibi à Claudio Despretz cõmunicatis probat Coluenerius in Notis ad cap. 19 Balderici) *S. Autberto Episcopo Cameracensi* XIII *Decembris anno* IↃCLXXV *defuncto* successit *Vindentianus*, seu *Vindicianus* assignato anno IↃCLXXVI, *temporibus Theoderici Regis, qui post Chlotharium fratrem summam regni suscepit, reniten-*

tibus

tibus plurimis ex Francorum Principibus, maximè propter Ebroinum, qui Maior domus regiæ illis permoleſtus erat, vt tradit idem Baldericus cap. 20, vbi vtriuſque & Theoderici & Ebroini ſubiungit eiectionem. *Erat* autem *Ebroinus* (vt monet in Vitâ S. Leodegarij Vrſinus) *Francis odioſus, quia quod per eumdem ſub Rege Chlothario ſuſtinuerant ponderis iugum,* iterum *metuebant,* potiſſimùm poſtquàm *multitudo nobilium, qui ad Regis noui properabant occurſum, Ebroino mandante, itineris accipere repudium* fuerat coacta, vti ex alterâ S. Leodegarij Vitâ habemus. Quare *Optimates,* conſpiratione factâ, *Theodericum* cum Ebroino, *quòd non eſſet iis præſentibus ſolenniter, vti mos eſt, ſublimatus, perſequuntur: tandem captum, & violenter iniuriis affectum ſub monachali habitu monaſterio includunt: & fratrem ſuum Childericum ſubrogant in regnum,* vt referunt Acta MSS S. Amati Epiſcopi Senonenſis XIII Septemb. danda. En regnum Theoderici, quamuis breui tempore finitum, quo S. Vindicianus anno IↃCLXXVI Epiſcopus factus, donationi S. Humberti ſubſcripſit XVIII *Martij, anno* XII *regni Childerici.* Hic dèinde *in Neuſtriæ regno confirmatus, ſuper omnem domum ſuam S. Leodegarium Pontificem ſublimauit, & Maiorem Domus in omnibus fecit,* vti in huius Vitâ proſequitur Vrſinus, qui addit *tribus penè annis* Regem ſub eius directione imperaſſe tam Neuſtriis, quàm Auſtraſiis, qui antè feliciſſimum eius regimen per annos duodecim fuerant experti.

Toto eo tempore ſuperfuiſſe Imnechildem Reginam, matrem DAGOBERTI Regis, & dum forſan aliquis Childerici filius Auſtraſiis Rex daretur, hiſce præfuiſſe, innuitur in Vitâ S. Præiecti Epiſcopi Aruernorum XXV Ianuarij ex MS. Vltraiectino editâ, vbi num. 11 ita legitur: *Cùm vir Dei Præiectus,* in ius ab Hectore Comite vocatus, *ſe vndique arctatum*

ctatum cognouisset, necessitate compulsus, ita respondit, se causas Ecclesiæ Imnichildæ Reginæ ditioni commendatas habere. Cumq; hanc assertionem cognouissent, imperfectum opus remansit. Beatus igitur Præiectus operis sui laborem, & quomodò per fideiussores venisset exhibitus tandem depromit. Rex verò & Regina Bilichildis (ita in alterâ Vitâ nomẽ exprimitur) *timore perculsi, veniã corã omnibus expetunt, & pro eius labore mœrore sunt inflicti.* Erant autem *solennes vigiliæ Paschæ*, anno Childerici in regno Neustriæ IV, Christi IↃCLXXIX, quando S. Leodegarius declinaturus iram Regis, cuius animum excitata æmulorum flatibus inuidiæ scintilla paullatim incenderat, Luxouium secessit. Nec diu superfuit Rex, *Optimatibus Palatinis Neustriæ* minùs gratus *ab insidiatoribus impiis* vnà *cum Reginâ prægnante interfectus, & cum filiâ Rotomagi in basilicâ S. Petri sepultus*, vt colligimus ex Vitâ SS. Audoëni, Leodegarij, Wandregisili & Lamberti. In Promptuario antiquitatum Tricassinarum Nicolai Camuzati, post Vitam S. Bercharij Abbatis Deruẽsis sequitur *Priuilegium à Childerico Rege S. Berchario* IV *Nonas Iulij anno* III *regni eius datum*, cui etiam *S. Leodegarius* subscripsit, quo prædicti anni in regno Neustriæ confirmãtur. De filio Childerici cædi erepto, & in monachum attonso, Daniele nuncupato, ac dein ad Francorum regnum reuocato, ac Chilperico dicto, infrà agemus, & de Theoderico vltimo eius nominis Rege, qui forsan alter eius filius fuit.

Childerico Rege defuncto, frater eius Theodericus ad regni sceptra peruenit. Ast Ebroinus Austrasios sibi amicos asciuit. Hi acceperunt quemdam paruulum, quem Chlotharij fuisse filium confinxerunt, hunc in partibus Austri secum leuant in regnum. Quanti autem per hoc calliditatis figmentum Theodericum tunc defunctũ, & Chlodoueum Chlotharij esse filium crediderunt? Hæc enim erat simulata occasio, quia omnes cum sacramento Theodericum asserebant

bant esse defunctum. Non diu pòst multis perpetratis sceleribus, cũ sibi Ebroinus flagitiorum socios adiunxisset, in Francorum fines per vim inuasit: immanissimamq; exercens tyrannidem, de Rege quem falsò fecerat, declinat ingenium, &, vt in Theoderici palatium rediret, quorumdam factione suscipitur, & iterum subitò Palatij Maior-Domus efficitur, in pristinum gradum restitutus. Hæc auctores coæui in Vitâ S. Leodegarij.

Eodem adhuc anno *VVinfridus*, nuper Episcopatu Licefeldensi dẽiectus, ex Angliâ discedens, *Gallico littori fortè appulsus, in Theodericum Regem & Ebroinum Ducem Francorum incidit, quibus à Britanniâ mandatum erat, vt VVilfridum Episcopum*, Sede Eboracensi, pridem ab Egfrido Rege pulsum, *caperent & spoliarent. Quem illi errore nominis acti, sociis occisis, & rebus ablatis, abire siuerunt. Luit ergo ille ambiguitatem vocabuli, alienumq; periculum suo redimens, vel nudus profugit à latronibus. At VVilfridus, cuius prudentiam hostilium consiliorum machinæ non laterent, leui Fauonio prouectus in altum, proras in Eurum obuertit, vt Frisiam nauigaret: exceptusq; à Rege & populo honorificè, ibidem hyemem, quæ imminebat, exegit .... Iamq; se verna temperies aperiebat in flores, cùm VVilfridus, itinere reincepto ad* DAGOBERTVM *Regem Francorum Transrhenanorum peruenit*, vt tradit Malmesbur. lib. 3 de Gestis Pontificum Anglorum. Annus is erat IↃCLXXX, quo *Episcopatum Strateburgensem à Rege* DAGOBERTO oblatum *cùm VVilfridus ad reditum suum de Româ accipere distuliisset, cum Deodato Episcopo Romam ad Agathonem Papam* perrexit: vbi *Episcopatu suo Eboracensi inuentum esse dignum* docet Beda lib. 5. cap. 20. S. Deodatum Episcopum, fundatorem monasterij Vallis-Galileæ, de quo etiam suprà egimus, Romam quoque profectum fuisse, ibidemque priuilegia & varias monasteriorum immunitates impetrasse, tradit Ruerus lib. 1 Antiq. Vosagens. par. 3 cap. 1.

Eumdem

Eumdem *Deodatum regnante Theoderico Chlodouei filio, & Childerici fratre, sub quo pessimus apostata Ebroinus excellentissimum Martyrem Leodegarium Episcopum variis tormentis vexatum capitali damnauit supplicio, de morte ad vitam transiisse* referunt eiusdem Deodati Acta. Hinc eum itineris Romani socium S. Wilfrido fuisse, vel ideò probatur magis, quòd alius, qui ex Angliâ eius comes venerit, nõ assignetur Deodatus. De annis Christi in pluribus Sanctorum Actis non rectè adiunctis suprà egimus. At quâ occasione à Rege DAGOBERTO oblatus Episcopatus Argentinensis Wilfrido fuerit, non æquè liquet, Num Rodtharius tum vitâ primùm functus? An *S. Arbogastus à vitâ eremiticâ ad episcopatum raptus*, hac occasione sperarit solitudinem sibi denuò licere petere? Ita certè *VVilfridus rogantem Regem ad reditum suum Româ differre* potuit.

V

Filius DAGOBERTI *Regis à S. Arbogasto Episcopo Argentoratensi ad vitam reuocatus. Varia à* DAGOBERTO *Ecclesiæ Argentoratensi & monasteriis Schutterano & Saraburgo donata.*

AVctor fragmenti historici Alberto Argentinensi præfixi tradit, *filium* DAGOBERTI *per S. Arbogastum à morte suscitatum.* Erat is *calcibus equi miserabiliter protritus.* Euocatus *S. Arbogastus, in oratione pernoctauit. Inter orandum puer quasi de graui somno excitatus, caput extulit, quem vinum erexit Arbogastus.* Ita in MSS. Actis S. Arbogasti, in quibus & DAGOBERTI Regis munificentia his verbis prædicatur: *Rex Cancellario*

accito coram Optimatibus suis testamentum facit, vt Rubiacha cum omnibus appendicijs confinibusq; ad se pertinentibus, etiam cum villis, totum & integrum amodò & deinceps sit sub dominio sanctæ Argentinensis Ecclesiæ, seruienti Dei genitrici Mariæ, stabili & inextricabili stipulatione subnixum. Dein *ipse quoque Rex ad Argentinensem Ecclesiam se Dei genitrici seruiturum contradidit, & plurima prædia eidem Ecclesiæ in proprietatem dedit*: vti addunt eiusdem S. Arbogasti Acta vulgata par. 2 Legendę SS. anno CIↃCCCLXXXIII atque iterum biēnio pòst excusæ. Extat datum Argentinensi Ecclesiæ *Priuilegium Tageberti Regis super tribus curtis in Rubiaco, & in Bischouisheim & in Species*: in hoc priuilegio agnoscit Rex, se olim *exhæreditatum propriis bonis* (ita legi censemus, non *filiis*) ad protectionem & patrocinium Deiparæ Virginis Mariæ confugisse. Diplomatis huius partem ex membraneo codice Arginentinensis diœcesis edidit Iodocus Coccius in DAGOBERTO Rege cap. 15, quam hîc damus, estque eiusmodi:

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. TAGEBERTVS *Diuinâ fauente clementiâ nobilissimus Rex. Notùm sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, natis & nascendis, qualiter ego* TAGEBERTVS *exhæreditatus, Christo volente, propriis bonis, S. Mariam mihi in hæreditariam hæredem acquisiui.... dans in honorem Matris Domini ad Ecclesiæ Argentinensis monasterium tres curtes meas optimas & electas, quas ita discernebam à ceteris vt præessent cunctis: quarum vna sita est in pago Bischoffesheim & in Comitatu Chilcheim, altera in pago, qui vocatur Rubiaca, & in Comitatu Ilchichâ, tertia in pago, qui nuncupatur Species & in Comitatu Bargensi, scilicet has supradictas curtes ad supradictum monasterium cum seruientibus Optimatibus, vel etiam equitibus ad easdem curtes pertinentibus eo iure tradidi.... Acta sunt hæc in Senburg: & vt à nobis facta credantur, & à posteris nostris non infringantur,*

tur, manu propriâ roborauimus & sigillari iussimus. Signum Domni TAGEBERTI, *Regis pij. Ego Turandus Concellarius Regis, ipso iubente, rescripsi.*

In Actis S. Arbogasti excusis idem Cancellarius *Durandus* appellatur. Quæ apponitur clausula, alicuius descriptoris est, nec vllo modo cohæret, estque hæc: *Acta sunt hæc* IV *Nonas Aprilis, Luna* VII. *Anno ab Incarnatione Domini* IↃCLXII, *Indict.* V, *regnante* TAGEBERTO *Rege anno* XXXII *regni sui.* Verùm illo anno erat Indictio XV, & DAGOBERTVS senior iam annos duodeuiginti è vitâ decesserat, qui tamẽ in Fragmento historico Alberti Argentinensis Chronico præfixo traditur *anno Domini* IↃCLXXIV *obiisse*: quia eius filius innuitur esse, qui à S. Arbogasto ad vitam suscitatus ibidem traditur: quod vlteriore non indiget refutatione. Coccius eodem cap. 15 *oblatam* ait *Argentoratensi Ecclesiæ, hodieq; in eius possessionibus perpetuare, amœnissimam terrarum regionem cis vltraq; Rubeaquas, fœcundis Elli vtrimque ripis ad vsque ferè Nouientum porrectam, ipsumq; Rubeacense oppidum cum arce regiâ Isenburgo, accuratâ finium typothesiâ hodie oppidorum pagorumq; circiter triginta duûm definitum.* Ei, autem tractui ait *Mundati appellationem inditam ab singularibus exemptionum & immunitatum prærogatiuis.* & DAGOBERTVM in suprà laudato priuilegio cauere, *vt qui in monasterij Deiparæ Virginis Argentinensis potestatem veniunt, liberaliter degentes sub Aduocati iure in liberalium virorum numero teneantur, nullumq; famulatum (præterquàm Ecclesiæ, cui addicti sunt) Domino illius loci, vel etiam Regi exhibeant, nisi ab eis beneficia teneant. Habeant quoque liberam potestatem emendi, vendendi, dandi, habendi, & posteris eorum propria iura dimittendi: denique vt iustitiam inueniant supra omnes, qui illic subditi sunt.* Hæc ibi DAGOBERTVS. Wimphelingus in Arbogasto ait, *Rubiachum oppidum cum populo, pagis*

& vniuersis possessionibus appellari superius Munus datum: vnde *Mundatum*: quod aliis dicitur quasi *manu datum*. DAGOBERTI filius in dictâ arce regiâ Isenburgo natus videtur, ac de sacro baptismatis fonte renatus. Quod Philippus Simonis in Historicâ Episcoporum Spirensium descriptione in Principio III Episcopo, aliique nonnulli, vt asserit Coccius cap. 12, attribuerunt S. Sigeberto filio DAGOBERTI I, quem *Aurelianis à Chariberto de sancto lauacro exceptum* fuisse suprà ex Fredegario ostendimus. Nomen filij forsan *Sigebertus* fuit, quem nomine patris sui appellauit DAGOBERTVS, vti ipse suum acceperat nomen.

Idem *Arbogastus*, teste Wimphelingo, *etiam* DAGOBERTO *Francorum Germanicorum Regi glorioſissimo persuasit, vt monasterio Schutterano curtem seu curiam aut prædium in pago Herlisheim Basileensis diœcesis dono daret. Vnde & inter singulares monasterij illius benefactores & apud veteres & apud recentiores Schutteranos monachos imaginibus depictus est.* Est Schutteranum cœnobium trans Rhenum Argentinensibus ad Schutteram fluuium in Mortinauiâ ditione. At prædium Herlisheimense cum agrorum certis limitibus à DAGOBERTO isti cœnobio donatum Colmariâ itinere duarum horarum distat. De eo in antiquas cœnobij tabulas hæc relata tradit Coccius cap. 8. DAGOBERTVS *Francorum & Germanicorum Rex, suasionibus S. Arbogasti Episcopi Argentinensis, curtem seu prædium in pago Herlisheim Basileensis diœcesis dono dedit anno Domini* IↃCXXX: imò potiùs IↃCLXXX. Hinc maiori cautelâ annus à Wimphelingo omissus est. Reliquias S. Arbogasti Suraburgi, quod Heilegen-forst ab eo conditum monasterium olim dixerunt, in locello affabrè facto atque inaurato adseruari tradit Coccius cap. 19. vbi & illud monasterium refert à DAGOBERTO fundatum dotatumque.

VI

Filiæ DAGOBERTI *Regis ope S. Florentij visus ac loquela reddita. Kirchemium aliaq; loca monasterio Haselacensi attributa.*

EOdem tempore *S. Florentius*, qui Arbogasto posteà in Episcopatu Argentoratensi successit, apud Haselacenses, vt suprà dictum est, degebat, haud procul à Kirchemio *Regis* DAGOBERTI palatio, cuius *filiam à dæmonio vexatam liberauit*, vti legitur in Fragmento historico Alberto Argentinensi præfixo. Acta eius varia hanc *Regis filiam* tradunt *à natiuitate cæcam & mutam* fuisse. *Rex igitur cognitâ* illius *sanctitate, vt ad se veniat, deputatis honestis nuntiis interpellat. Beatus verò Florentius accersitus, palatium Regis adiit, sed Regis filia, viro Dei cominùs existente, videndi pariter & loquendi dona percepit, præsentibus omnibus suæ salutis annuntians auctorem. Ecce, inquit, ecce venit sanctus Dei Florentius, cuius meritis me Diuina illuminauit gratia, & vsum loquendi concessit. Ad tanti nouitatem miraculi contremiscit mater, obstupescit & pater . . . Rex ne ingratus videretur, quid honoris, quid beneficentiæ Dei famulo valeat impendere, diligenter attendit. Deinde quod gratius Sancto Dei nouerat, locum quem inhabitandum elegerat, perpetuò possidendum donauit. Adhæc humanis ne quid deesset necessitudinibus, his scilicet qui ibidem Deo forent seruituri, domicilium quod ipse inhabitabat, Kircheim scilicet cum omnibus suis appendiciis liberè contradidit, donationemq; factam auctoritate regiâ roborauit.* Hactenùs Acta ex MS. Bodecensi. Quas speciatim ei possessiones donârit, in MS. Colonienſi ita exponitur: *Quare cùm*

Rex

Rex & omnes mirarentur, tradidit eidem sancto viro magnam partem eiusdem siluæ ad cellam ibi ædificandam, villasq; adiacentes & prædia multa dedit, quæ vsque hodie ad claustrum Hasaelahe pertinent. Hæc ibi. Limites agrorum à S. Florentio asino circumuectos, quo tempore Rex DAGOBERTVS corpus balneo abluebat, liberali munificentiâ donatos fuisse refert Coccius cap. 17. Eadem in Actis carmine heroico descriptis in suprà memorato Breuiario Argentinensi ita paucis legũtur.

Chartæ perpetuæ sub confirmante libello,
Rex concessit ei, quantùm transiret asello.
Balnea dum sineret Rex, & ab his vestitus abiret.
Tempore duplato non iret eques stimulatus,
Quantum transiuit prunelli pes agitatus,
Donec Rex sumpsit chirothecas, amne rigatus.

Diploma aliquod, seu documentum regium fundationis Haselacensis recitat idem Coccius, sed, vt DAGOBERTO seniori accommodaretur, aliquot mendis interpolatum, quibus omissis, quæ hanc donationem attingunt, excerpimus. Ita ego incipit.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen. DAGOBERTVS *Diuinâ fauente clementiâ Francorum Rex. Omnibus, regni sui Principibus, imò cunctis fidem Christianam profitentibus, tam futuris quàm præsentibus, gratia vobis & pax ab eo, qui est & qui venturus est Omnipotens. Votum, quo Deo & Sanctis se quis obligauerit, sine maculâ reatus irritum fieri non poterit. Et quantò maior & dignior est is cui vouetur, eò ferietur grauiori iudicio vouentis & non reddentis præsumptio. Debemus igitur & volumus nos quoque reddere, quod vouimus Domino terribili & ei qui aufert spiritum Principum, terribili apud omnes Reges terræ ..... Igitur sub certâ spe indulgentiæ & remissionis peccatorum meorum, reddens alacri studio votum, quod feci, monasterium in honorem san-*

ctæ

ctæ Trinitatis, ac S. Mariæ perpetuæ Virginis, quod Haselaque vocatur, in meo regno ac diœcesi Argentinensi situm construxi. Sed honorabili Florentio Dei amico, ac tunc ibidem in solitudine commorante, diuini instinctu Spiritus à me impetrante, iam dictum monasterium sublimare & regali munificentiâ ditare decreui, dans prædicto monasterio, & in perpetuum datum esse volo, de rebus fisci mei illic adiacentibus, quidquid ad me spectat, tam in villis quàm mancipiis, siluis, vineis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarum decursibus: & omnia hæc in vsum monasterij antedicti, & Fratrum ibidem Deo seruientium seu famulantium, sub canonicali tamen regulâ degentium, liberâ donatione redigo. Trado etiam venerabili Dei cultori Florentio suæq; Ecclesiæ locum ac vallem terminorum Vosagi, quæ scilicet pro solitudine seu eremo, nec non pro requie & expectatione generalis resurrectionis sibi suisq; sequacibus fideliter elegit. Sed & ne seruitores diuini cultus ibidem videlicet & loco & ecclesiâ prædictis, penuriam aliquam vel aliquem materialis substantiæ paterentur defectum; regalem meam habitationem benè ordinatam seu procuratam Kirchhaim cum suburbiis Marley, Vallem-Coronæ, Virdenheim, Villam-Vene, castellum situm in monte iuxta stratam Tabernensem, vsque ad riuulum Osellum, cùm omnibus adiacentibus hubis, siluis, vineis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, ipsis trado. Locum autem prædictum, quem singulari amplectimur dilectione, nunc & deinceps ab omni seruitutis oppressione liberum sub regali tuitione esse volo, ita videlicet vt nullus iudex publicus ex iudiciariâ potestate quidquam potestatis vel negotij in ipsis marchis exercere vel habere præsumat, nec homines locorum antè dictorum adstringere, vel ad causas audiendas, freda vel tributa soluenda, postremò nihil penitùs audeat ab iis exigere. Vt autem mea traditio & iuris & concessa dignitatis institutio stabilis & inconcussa iugiter permaneat, chartam hanc inde conscriptam disposui, adiectione sigilli mei appensioneq; roboratam signaui.

Hactenùs diploma. Annus Christi adscriptus est IↃCXIII, enormi mendo, cùm eo tempore puer adhuc esset DAGOBERTVS senior: cuius duo filij adiunguntur Chlodoueus & Sigebertus: verùm illo necdum nato, hic creatus fuerat Rex Austrasiorum anno IↃCXXXVIII, cuius dein subiecta erat dominio Alsatiæ regio. Datum ergo dictum diploma est à DAGOBERTO filio Sigeberti, postquàm ille, vt mox dicemus, regnum Austrasiorum accepit. Potuit huic traditioni interfuisse filius antè à S. Arbogasto, vt suprà dictum est, à morte suscitatus, Potuit etiam, vt traditur, interfuisse Regina, legitima coniux, cùm filiâ Rathilde, quam meritis S. Florentij sanatam fuisse plerique arbitrantur. De liberis huius DAGOBERTI infrà pleniùs agemus.

Dictus *Florentius* in Actis appellatur *Scotorum indigena*, ac *de Scotiâ veniſſe*, & in Vitâ metricâ, *Vir* est *flos Scotorum nobilibus parentibus ortus*. Ioannes Leslæus lib. 4 Rerum gestarum Scotorum in Eugenio VI, Rege LVII, hæc scribit: *Hoc tempore Scotia Ecclesiæ edidit acerrimum veritatis propugnatorem, Florentium quemdam, præclaris natalibus illustrem. Hic peregrè profectus, multos paganismi tenebris oppletos, Christi splendore impleuit. Vitam austeram in intimis densissimæ siluæ recessibus non procùl à Bruschio celeberrimo Alsatiæ fluuio egit. Monasterium peregregium ad suos (qui ex Scotiâ ad illum frequentes religionis ergô confluebant) excipiendos erexit. Hunc Argentinenses posteà suum Episcopum, Rothario mortuo, crearunt. Tumulatur in monasterio, quod Scotis peregrinis eum extruxisse diximus.* Hæc Leslæus: ex cuius & Hectoris Boëthij lib. 9 historiæ Scotorum, calculo, Eugenius VI anno IↃCLXXXVIII Rex creatus est, quo regnante, mortuo S. Arbogasto, quem Rothario successisse suprà demonstratum est, S. Florentius creatus Episcopus, ad finem circiter istius seculi VII superfuit: à

quo

quo *aliud D. Thomæ sacrum cœnobium Scotis accipiendis ab eodem intra vrbem Argentoratensem collatum esse* tradit ex veteribus schedis Coccius. Guillimannus de Episcopis Argentinensibus, *eius operâ*, ait, *& auctoritate constructum Argentinæ Scotis monachis & peregrinis primò diuersorium, siue hospitale, (vt vocant vetera monumenta legum) pòst etiam templum in honorem D. Thomæ Apostoli, quod postremò in collegium Canonicorum conuersum, multis viris egregiis quondam refertum, & vnde nonnulli Episcopi sumpti.* Hæc ibi. Potuit initio S. Florentius in Haselacensi cœnobio, in quo sepultus est, Scotos etiam monachos admisisse.

Translato ad Haselacenses S. Florentij cœnobitas Kirchemio, DAGOBERTVS Rex aut habitauit Argentorati, vbi *in palatio regio* Lotharius Imperator, eiusque frater Ludouicus Rex Germaniæ signarunt diplomata, à Guillimanno edita lib. 1 de Episcopis Argentinensibus cap. 5, aut certè ad regnum Austrasiorum, de quo iam agemus, administrandum tunc fuit euocatus.

VII

Regnum Austrasianum DAGOBERTI. *Bellum in confiniis inter eum & Theodericum Regem Neustriæ & Burgundiæ.*

VAcuum annorum XL interuallum in Annalibus Chronicisque Regum Francorum repertum, alto silentio inuoluit regnum Austrasiorum à Dagoberto aliquot annis administratum: quod tamen adstruunt genuina diplomata, aliaque antiquorum scriptorum sincera momumenta.

Occiso Childerico, gratissimo Austrasiis Rege, Vulfoaldus eius etiam apud Neustrios Maior-Domus per fugam vix euasit, & ad Austrasios reuersus est. Theoderico dein à Neustriis Burgundisque ad regnum reuocato, Austrasij, ab his eorumque Rege auersi, Chlodoueum quemdam, qui Chlotharij III credebatur filius, sibi Regem constituunt, & Ebroinum, olim eiusdem Chlotharij Maiorem-Domus, illius palatio præficiunt, famâ ditâ ad maiorem regni huius securitatem, Theodericum mortuum esse. Verùm Ebroinus spiritu superbiæ tumidus, flagitiorum sociis adiunctis in Neustriam irrupit, ac pristinam, vt diximus, apud Theodericum dignitatem recuperauit. Tunc, inquit Vrsinus in Vitâ S. Leodegarij, *Rector palatij & Maior-Domus effectus, cogitare cœpit de vlciscendis inimicis, qui eum habere Subregulum noluissent. Itaque instar leonis rugientis per Francorum terras rugitus eius insonuit: cunctiq; qui olim aduersùs eum egerant, qui tamen eadem effugere potuêre, fugæ præsidia captarunt.* At Austrasij, perspectis Ebroini insidiis, reiectoque Chlodoueo, quem is falsò Regem statuerat, videntur legitimum regni Austrasiorum hæredem euocasse DAGOBERTVM II, S. Sigeberti filium, cuius mater Imnechildis ad ea vsque tempora superstes pro Childerico regnum hactenùs præclarè administrârat. Et hac ratione DAGOBERTVS, qui Alsatiâ finitimisque ditionibus solùm potiebatur, videtur ab Optimatibus oblatum patris Sigeberti regnum, id est, totam Austrasiam potiùs accepisse, quàm armis ac vi bellicâ subegisse. Quod factum esse labente anno IↃCLXXX arbitramur. Hoc noui belli Austrasios inter & Neustrios excitandi semen fuit: quod annis sequentibus à Regibus Theoderico & DAGOBERTO gestum est. Non tamen eas obtinuisse prouincias videtur DAGOBERTVS, quæ trans Ligerim sitæ,

olim

olim ad Reges Austrasios pertinebant.

Colitur XX Septembris S. Salaberga Abbatissa, anteà bis nupta: Ricranno primùm, quo post duos menses mortuo, etsi inter sanctimoniales montis Vosagi reliquam agere vitam præoptabat, tamen, ne Rex DAGOBERTVS I offenderetur, data est à Gunduino patre, Blandino, cognomento Basoni, Principi aulæ regiæ, coniux: cui & genuit duos filios, Eustasium, intra pueriles annos defunctum, & S. Balduinum, ac tres filias, Saretrudam, Ebanem & S. Austrudem. Verùm marito dein ad vitam sanctiorem conuerso, liberisque Deo sacratis, religionis vestem assumpsit, vti legitur in Vitâ eius MS. quam habemus ex codice Longpontico à Nicolao Belfortio descriptam, cuius partem edidit Andreas Chesnæus tomo 1 Scriptorum historiæ Francorum paginâ 647, quam auctor coætaneus inscripsit S. Austrudi Abbatissæ, eius filiæ, quæ illi, inquit auctor, *in curâ & regimine Sororum processu temporis, cunctâ annuente caterua, successit. Quæ hactenùs Christo auspice, diuinis pollens priuilegiis, nunc supersit.* Hæc auctor ille, qui dein bella inter Theodericum & DAGOBERTVM in confiniis vtriusque regni gesta ita narrat.

Cœnobium puellarum in suburbio Lingonicæ vrbis in hæreditate vel successione paternâ conatur extruere. Ad quod opus peragendum venerabilis VValbertus solamen, artificesq; ac viros industrios præbuit atque commisit. Qui locus licet Austrasiorum finibus immineret, vicinus tamen Burgundiæ erat, distans à Luxouio monasterio, paullò minùs millibus quadraginta. Ibiq; adunatis centum, seu ampliùs, tam ex nobilium liberis, quàm ex proprio officio puellis, illum Christo Domino dicauit. Sed cùm iam pars maxima fabricæ monasterij instructa esset, cœpit famula Christi præsaga, vtpote Spiritu Dei repleta, sagaci cum viro trutinare animo, non esse in eodem loco puellarum cœnobium tutum, nihilq; stabilitatis habere munitionisq;

nitioniſq; locum. Nam licet barbaries procùl abeſſet, Regum tamen limitibus hinc inde admixtis, periculi indicium futuris temporibus erat: quod periculum nos deinceps vidimus. Denique nuper ciuile bellum inter Reges Francorum THEODERICVM & DAGOBERTVM *circa illos fines eſt actum, loca vicina quoque depopulata, agri, villæ, ædes, & ipſa, quod grauius eſt, Sanctorum corpora igne ſunt cremata. Vnde liquidò patet diuino eam Spiritu fuiſſe imbutam, quæ pridem anticipauit diſcrimen.*

Hæc Acta illa & MSS. & vulgata à Cheſnæo, cum illuſtri rerum dictarum comprobatione, nec minore noſtræ Chronologiæ conſenſu. S. Salaberga tempore Dagoberti Regis nupta, liberos quinque marito peperit: thoro ſeiuncta, dictum cœnobium in ſuburbio Lingonenſi cœpit exſtruere, ſed, vt auctor Vitæ habet, *prolibus* antè *Deo ſacratis, & religionis veſte acceptâ.* Qui eam in extruendo monaſterio adiuuit S. Walbertus, Luxouienſis Abbas, dedit etiam S. Theofridum primum Abbatem Corbeienſibus, poſtulante S. Bathilde Reginâ illius fundatrice. Verùm eo dein loco relicto, *Laudunum* migrauit Salaberga, ab vrbis illius Epiſcopo Attelano benignè excepta. Fuit hic Epiſcopus cùm Chuniberto Colonienſi, Giſloaldo Virdunenſi & Theofrido Tullenſi, in concilium adhibitus à S. Sigeberto Rege Auſtraſiorum, quando hic extructis à ſe monaſteriis Stabulao & Malmundario vicinas ſiluas & alia circumquaque loca donauit, cùm iſtic S. Remaclus, relicto Epiſcopatu Traiectenſi, Abbas præeſſet, poſt annum IↃCLX, vt alibi demonſtrauimus. In extructo tunc Lauduni monaſterio, *intra exigui temporis ſpatium*, inquit auctor Vitæ, *adunatæ ibi ſunt plus minùs trecentæ famulæ Chriſti*: interque eas *Odila, nupta Leudino, cognomento Bodoni*, fratri ſeniori S. Salabergæ, qui *incisâ cæſarie, monachi agebat officium*, dein *Tullenſem* adeptus Epiſcopatum

scopatum est: cui Eborinus successit, quem suprà diximus cum S. Numeriano Episcopo Treuirensi tempore Childerici Regis vixisse. Mortuâ S. Salabergâ, successit, ex eius designatione, filiarum iunior S. Austrudis, annos tum viginti nata, post fugam nuptiarum Deo sacrata: vti traditur in Vitâ S. Balduini fratris, VIII Ianuarij. Fuisse S. Balduinum Archidiaconum Seculphi Laudunensis Episcopi, ac videri temporibus Ebroini interfectùm esse, eiusque funeri S. Anstrudem Abbatissam interfuisse, ibidem diximus. Successit Seculpho Omatarius Episcopus Laudunensis, cui, vnà & S. Anstrudi Abbatissæ, & Salabertæ, inscripsit Vitam S. Salabergæ auctor coæuus, vt quæ narrat ciuilia bella Regum Theodorici & DAGOBERTI, non potuerit non accuratè nosse. Omittitur hic *Omatarius* à Claudio Roberto, nisi forsan is sit, quem *Madalgarium* appellat, aitque sedisse *tempore Pippini Principis*: Pippinum autem ab anno IↃCLXXXVII Maiorem-Domus apud Austrasios fuisse constat.

VIII

Diploma monasteriis Stabulao & Malmundario à DAGOBERTO *anno* IV *regni Austrasiani, Chr.* IↃCLXXXIV *signatum.*

INter illustriora monasteria à S. Sigeberto patre DAGOBERTI extructa, eminent Stabulaus & Malmundarium, vt dictum ad illius Vitam Kalendis Februarij. DAGOBERTVS, factus Austrasiorum Rex, eisdem monasteriis donationem à patre suo factam confirmauit. Cuius hîc tabulas adiungimus,

mus, illustre regni DAGOBERTI apud Austrasios testimonium. Ita ergo habent.

DAGOBERTVS *Rex Franchorum, illuster vir. Illud nobis ad stabilitatem regni in Dei nomine prouenire confidimus, si facta Domni & genitoris nostri Sigeberti quondam Regis pro nostris oraculis in Dei nomine firmare deliberamus. Atque ideò vir venerabilis Goduinus, Abba de monasterio Stabulau & Malmundario, clementiæ regni nostri suggessit, eò quòd Dominus & genitor noster Sigebertus* Rex, *S. Remaclo ex villâ cognominante Germiniaco in pago Remense ad suprascripta monasteria, quæ sunt in Arduennâ, quæ ipse Princeps suo opere construxit, ipsa villa Germiniacum cũ omni integritate, appendiciis suis pertinentibus ad se, id sunt molendini duo sub vno tecto, Cumaria super fluuio Suppiâ, vinea in Beterio cum vineatore, hoc totum & ad integrum ad ipsa monasteria, quæ sunt in honore Patronorum nostrorum SS. Petri & Pauli & S. Martini vel Sanctorum ceterorum, qui ibidem ad ipsa loca venerari noscuntur, per suam præceptionem concessisset. Vnde & ipsam præceptionem memoratus vir venerabilis Goduinus Abba, suis etiam manibus roboratam, nobis in præsenti protulit relegendam: & asseruit, quòd pars ipsius monasterij ipsam rem superiùs intimatam, tempore præsenti possidere vel dominari videatur. Sed rei totius firmitate nostram se.... petit, vt pleniùs ex hoc ad supradicta monasteria per nostram præceptionem in Dei*

nomi-

nomine confirmare deberemus. Cuius petitionem, ſicut vnicuique iuſta petentibus, præſtitiſſe, & in omnibus confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes enim vt, ſicut conſtat per inſpectam præceptionem iam dicto Principe, ipſa villa ſuperiùs intimata, cum omni integritate & ſoliditate ſuâ terminum ad eamdem vel ipſa formaria ſeu vinea cum vineatore, taliter per ſuam præceptionem ad ipſa loca Sanctorum viſus eſt conceſſiſſe, & hoc ad præſens pares ipſius monaſterij poſſediſſe, vel dominari videntur; ita deinceps per hanc præceptionem noſtram tam terris, caſis, manſis, mancipiis, ædificiis, cum vineis, campis, pratis, ſiluis, cultis & incultis, aquis aquarumue decurſibus, pleniùs in Dei nomine confirmatum, ita vt pares prædicti monaſterij hoc habeant, teneant, atque poſſideant: & ipſe Goduinus ſucceſſoreſque ſui perhennis temporibus hoc valeant poſſidere vel dominari, qui potiùs monachis, qui ibidem ad ipſa monaſteria deſeruire videntur, vel pauperes, quibus ad ipſa loca Sanctorum alimoniæ exportantur, meliùs delect... pro ſtabilitate regni noſtri Domini miſericordiam adtentiùs exorare. Et vt hæc præceptio pleniorem obtineat Dei nomine noſtris & futuris, auxiliante Deo, temporibus vigorem, manus noſtræ ſubſcriptionibus ſubter eam decreuimus adfirmare.

Hæc ibi. Eiuſdem diplomatis S. Sigeberti mentio fit in quodam exemplari donationis Grimoaldi Maioris-Ducis S. Sigeberti, nobis & Bambergâ & Stabulao tranſmiſſo. Illi

hic præfigitur titulus : *Confirmatio Grimoaldi Ducis facta de villâ Germiniaco ad eumdem sanctum virum*, scilicet *S. Remaclum*, cui villam Germiniacum dederat S. Sigebertus. Ipsum autem diploma est huiusmodi:

Domino sancto & in Christo Patri Remaclo Episcopo, vel omni congregationi, monasterio Malmundario seu Stabulau consistentium Grimoaldus. Recogitans molem peccaminum meorum, qualiter veniam obtinere merear, dono vobis donatumque esse volo pro compendiis ipsorum seruorum Dei, qui in ipsa monasteria conuersare videntur, loco cognominante Germiniaco, in pago Remensi, quem Domnus gloriosus Sigebertus Rex nobis concessit. Ipsam villam Germiniaco cum omni integritate suâ, domos, ædificiis, mancipiis, acolabus, pecuniis, campis, aquis, cum omni soliditate, appendiciis, id est, duos molendinos in Supiâ cùm areâ & terrâ, vineâ vnâ in Boterio, & alia appendicia, quæ dicitur Terune iuxta fluuiolum Axina, quem de Godetrude dato pretio comparaui, domos, mancipiis, campis, pratis, vineis, aquis, aquarumue decursibus cum omni integritate ad se pertinente, concedo vobis à die præsente perpetualiter: vt ipsam villam Germiniaco vel appendiciis suis superiùs cognominatis, teneatis, possideatis, vel quidquid inde facere volueritis, liberam & firmissimam habeatis potestatẽ. Et si sanè, quod fieri nõ credo, aliquis de hæredibus meis, vel aliqua opposita persona, cõtra hanc firmationẽ de parua munuscula, quæ in arâ summi

Dei

Dei omnipotentis offerre non dubito, venire tentauerit, inferat in sacro fisco auri libram vnam, argenti pondera quinque, & nihilominùs facta mea irrumpere non valeat.

Hactenùs illud diploma Grimoaldi, anno IↃCLXIV ob filium Childebertum ad regnum Austrasiorum contra ius fasque elatum interempti. Annus, quo *factis exemplaribus* exhibitum diploma est DAGOBERTO Regi, addebatur his verbis: *Facta exemplaria sub die Kalend. Augusti anno quarto regni Domini nostri* DAGOBERTI *Regis*, is est Christi IↃCLXXXIV: quo præcedens diploma DAGOBERTI etiam signatum arbitramur, quando iam pridem obierat S. Remaclus, cui illas donationes fecerat Grimoaldus.

Benedictus delle Riue monasterij Stabulensis Sacerdos, bibliothecæ & archiui præfectus, de quo ad Vitam S. Sigeberti egimus, pro singulari suâ humanitate hæc IV Februarij anni CIↃIↃCLIV inter alia scripsit: *Bona, quæ circa Germiniacum possedit, & debet possidere monasterium, anno circiter* CIↃCCCXIX *elocata fuêre Remis Abbati S. Remigij, & postmodùm perperàm ab ipsis Remigiensibus bonis præposituræ de Mers ab eis dependenti adiuncta. Pro quibus recuperandis etiamnum pẽdet lis indecisa, sed propter bellorum strepitus interrupta.* Ita ille. Memoratum suprà flumen *Suppia*, infrà *Iuppia*, Flodoardo lib. 2. Hist. Eccl. Remensis cap. II *Suippia*, aliis *Suippa*, exoritur in agro Remensi, non procul ab oppido eiusdem nominis Suippâ: alluit deinde Pontem-Fauergij, ac tandem in confiniis Tiraschiæ Axonæ miscetur, quod itidem in eodẽ diplomate nominatum flumen: ex quorum situ in reliquorum locorum notitiam faciliùs deuenitur.

Confirmant has Sigeberti & DAGOBERTI donationes tum varia Imperatorum diplomata, tum S. Leonis IX, ex E-

piſcopo Tullenſi anno Chriſti CIↃXLIX ad ſummum pontificatum euecti, conſtitutio, à Miræo in Notitiâ Eccleſiarum Belgij cap. 127 vulgata, in quâ hæc leguntur: *Ratum decernimus, quidquid dedit primus conſtructor locorum, Sigebertus videlicet Rex Francorum, qui Germaniacum in pago Remenſi, & molendina duo ſub vno tecto ſuper Iuppiâ, & vineam cum vinitore in Bethereo, & telonea quæ ad portum Vetraria ſunt ſuper fluuios Taunaco & Itta, & portum qui dicitur Sallis, & Vogatium ſuper fluuium Ligerim, ipſi adhuc viuenti S. Remaglo tradidit. Eadem quoque firmitate vigoramus acta & inſtituta Regum, Chlodouei,* DAGOBERTI, *Childerici, Theoderici, qui eadem præceptis ſuis confirmauerunt, aliaq; perplura addiderunt, nec non Imperatorum Karoli, Ludouici, Lotharij, & trium Ottonum, Henrici etiam primi & ſecundi ... Auguſtorum, qui conſtructores & defenſores fuêre locorum ipſorum.* Hæc S. Leo IX Papa, apud quem ſucceſſio Regum ſecundùm ætatem, quâ ſinguli rexerunt, non ſeruatur. Imperarunt autem Auſtraſiis hoc ordine, Sigebertus, Childericus, DAGOBERTVS, Theodericus, Chlodoueus III. Extat in codice Bambergenſi *Priuilegium Gregorij V Papæ, per Notkerum Epiſcopum Leodienſem Abbati Rauengero miſſum, datum* III *Nonas Iunij anno Dominicæ Incarnationis* IↃCCCCXCVI, *Indictione* IX. vbi hæc traduntur: *Quia poſtulaſti, Frater, à nobis, quatenùs monaſteria in honore S. Petri conſtructa, id eſt, Stabelaus, & Malmundarium, ſita ſaltu Ardennenſi, priuilegio noſtræ auctoritatis muniremus: & quia iuſta viſa eſt nobis petitio tua, aſſenſum ei præbentes, per huius noſtri Apoſtolici priuilegij conſtitutum ſancimus atque decernimus, ſecundùm antiquorum edictum Regum, id eſt, Sigeberti, Chlodouei &* DAGOBERTI, *qui & eorumdem conſtructores fuêre monaſteriorum, nec non & Imperatorum Karoli, Hlodovvici & Ottonis Auguſtorum* &c. Idem diploma ſed mutilum edidit Miræus in Notitiâ Eccleſiarum Belgij cap. 89 attri-

attribuitque antè memorato S. Leoni IX.

Habemus etiã diplomata MSS. Ludouici Pij & triũ Ottonum Imperatorum, ex quibus Otto II DAGOBERTVM inter dictorum monasteriorum *cõstructores* & defensores collocat. *Abbas* Rauengerus, inquit, *postulauit à nobis, quatenùs secundùm prædecessorum nostrorum morem, id est, Sigeberti, Hilderici, Chlodouei,* DAGOBERTI *Regum, qui & eorumdem monasteriorum fuerunt constructores, nec non & Imperatorum Karoli, Ludouvici, sed & serenissimi beatæ memoriæ Ottonis genitoris nostri Augusti Imperatoris, concederemus monachis ibidem Deo militantibus electionem regularem, quod & fecimus.* Hæc Otto II, mortuus anno IↃCCCCXCIII. Similia habet Henricus II Imperator: *Petente,* inquit, *Poppone Abbate, iuxta antiquorum Regum Sigeberti, Hilderici, Chlodouei,* DAGOBERTI, *qui constructores fuerunt præfati loci, nec non & Imperatorum Karoli, Ludouvici, Ottonum trium, Henrici, sed & serenissimæ memoriæ Chuonradi Imperatoris, genitoris mei, sancita .... firmauimus auctoritate nostrâ.* Obiit S. Poppo Abbas an. CIↃXLVIII, XXV Ianuarij, quo die eius Acta dedimus. Hactenùs ea diplomata, in quibus DAGOBERTVS ferè postponitur Chlodoueo III, tum quòd hic toti monarchiæ præfuerit, tum fortè quòd pro DAGOBERTO filio Sigeberti minùs noto, DAGOBERTVS III filius Childeberti sit creditus. Ita etiam innuitur in titulo apud Stabulenses ipsi diplomati à posteris affixo, his verbis: *Exemplar præcepti* DAGOBERTI *Regis Iunioris de villâ Germiniaco, dati Domno Goduino Abbati.* Hæc infrà in diplomate Theoderici clarè refellentur.

Quidquid autem sit de posterorum scientiâ, aut abolitâ apud eos memoriâ DAGOBERTI Regis Austrasiorum, ipsa verba diplomatis eius clara adeò sunt, vt ne quidem in dubium vocari id possit. In aliis dictorum monasteriorum di-

plomatis agnoscunt *genitorem* suum *Henricus* II *Chuonradum*, & *Otto* II *Ottonem* I, vti *Otto* III hunc *auum*, illum *genitorem*. At *Chlodoueus* III *Childericum* nominat *auunculum*, quem *germanum* suum asserit *Theodericus* pater Chlodouei. Demum *S. Sigebertum* vti *auunculum* agnoscunt dicti *Childericus* & *Theodericus*, ita *genitorem* suum geminatis vicibus appellat DAGOBERTVS. Non posse autem attribui DAGOBERTO Iuniori Childeberti filio ostendit ipse, qui tunc pro monasteriis suis illud priuilegium expetiit, impetrauitque, S. Goduinus Abbas, iteratis vicibus in illo memoratus: cui priuilegium aliud indulsit Rex Theodericus, post annum IↃCXC, quando à Pippino superatus, diplomata pro Austrasiis signauit. At Chlodoueus III nouum dein priuilegium donauit *anno* II *regni*, XXV *Iunij*, Christi IↃCXCV, postulante Abbate *Apostolico Domino Papaleno Episcopo*, qui Goduino iam antè mortuo successerat. Non ergo vixisse Goduinum anno IↃCCXIV, regni DAGOBERTI Iunioris quarto, infrà prolatis diplomatis Theoderici & Chlodouei manifestum atque indubitatum reddetur.

IX

Frisiorum ad fidem conuersio à DAGOBERTO *Rege commendata Episcopo Colonienſi. Epistola S. Bonifacij hac de re ad Stephanum Papam.*

DIximus suprà, ex libro 3 Guilielmi Malmesburiensis de Gestis Pontificum Anglorum, *S. VVilfridum Episcopum Eboracensem*, Sede suâ pulsum, ne à *Theoderico Rege & Ebroino Duce Francorum caperetur & spoliaretur*, in *Frisiam nauigasse*: *cuius*

eius ad prædicationem Adalgisus Rex gentilem tumorem inflexit, facilioremq; in cæteros prædicationis viam aperuit. DAGOBERTVS Rex à S. Wilfrido, quem è Frisiâ ad se venientem, in Alsatiâ anno IↃCLXXX exceperat, didicit, quæ is illâ hyeme beneficia & à Rege Frisiæ acceperat, ac vicissim illi eiusque subditis contulerat. Euocatus eodem adhuc anno ad regnum Austrasiorum, cum eodem Rege Frisiæ, prouinciis suis conterminæ, amicitiam coluit: quam quia religione Christianâ illuc introductâ stabiliorem fore sperauit, vt Frisios Christianis mysteriis eruditi procuraret, Episcopo Colonienſi mandauit. Rem gestam describit S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, & Episcopus Vltraiectinus in epistolâ ad Stephanum anno IↃCCLII in Pontificem Romanum consecratum. Edita est ea à Nicolao Serario inter epistolas eiusdem S. Bonifacij num. 97, ab Autberto Miræo in Codice Donationum piarum cap. 9, & in Notitiâ Ecclesiarum Belgij cap. 21. Inserta quoque est à Ioanne de Bekâ Chronico Episcoporum Vltraiectinorum in Bonifacio Episcopo II cùm hac præfatione: *His diebus dissensio quædã exorta est inter Ecclesiam Colonienſem & Traiectenſem. Postquàm enim Bonifacius Archiepiscopus Traiectenſis, iubente Zachariâ Papâ, Pippinum Ducem Sueſſionis vnxisset in Regem Francorum, quem Clemens quidem baptizauerat in regno Germanorum; Archiepiscopus Colonienſis asseruit castrum cùm Ecclesiâ Traiectenſi donatione* DAGOBERTI *Regis ad Metropolitatum suum spectare: & contrà præfatus Traiectenſis Archiepiscopus affirmauit Ecclesiam suam ad Sedem Apostolicam sine medio pertinere. Quapropter & Bonifacius præsentis epistolæ consultationem scribi fecit, quam sanctiſsimo Patri Domino Stephano Papæ destinauit.* Est ea huiusmodi:

Venerando ac diligendo Domino, Apostolatus priuilegio prædito

prædito, Stephano Papæ Bonifacius, exiguus Legatus vel Missus Germanicus, Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ optabilem in Christo caritatis salutem.

Tempore Sergij Apostolicæ Sedis Pontificis venit ad limina sanctorum Apostolorum Presbyter quidam miræ abstinentiæ & sanctitatis, generis Saxonum, nomine VVillibrordus, & alio nomine Clemens vocatus, quem præfatus Papa Episcopum ordinauit, & ad prædicandam Paganam gentem Fresonum transmisit in littoribus Oceani occidui. Qui per quinquaginta annos prædicans præfatam gentem Fresonum maximâ ex parte conuertit ad fidem Christi, fana & delubra destruxit, & ecclesias construxit, & Sedem Episcopalem & Ecclesiam in honore S. Saluatoris constituens in loco & castello, quod dicitur Traiectum, & in illâ Sede & Ecclesiâ S. Saluatoris, quam construxit, prædicans vsque ad debilem senectutem permansit: & sibi Coëpiscopum ad ministerium implendum substituit, & finitis longæuæ vitæ diebus, in pace migrauit ad Dominum. Princeps autem Francorum Carolomannus commendauit mihi Sedem illam, ad constituendum & ordinandum Episcopum; quod & feci. Nunc autem Colonienſis Episcopus illam Sedem præfati Episcopi Clementis à Sergio Papâ ordinati sibi vsurpat, & ad se pertinere dicit, propter fundamenta cuiusdam destructæ à Paganis ecclesiolæ, quam VVillibrordus dirutam vsque ad solum in castello

ſtello Traiecto reperit, & eam proprio labore à fundamento conſtruxit, & in honore S. Martini conſecrauit. Et refert, quia ab antiquo Rege Francorum DAGOBERTO caſtellum Traiectum cum deſtructâ eccleſiâ ad Colonienſem parochiam donatum eâ conditione fuiſſet, vt Epiſcopus Colonienſis gentem Freſonum ad fidem Chriſti conuerteret, & eorum prædicator eſſet, quod & ipſe non fecit. Non prædicauit, non conuertit Freſones ad fidem Chriſti, ſed Pagana manſit gens Freſonum, vſquequò venerandus Pontifex Romanæ Sedis Sergius ſupradictum ſeruum Dei VVillibrordum Epiſcopum ad prædicandum ſupradictæ genti tranſmiſit, qui illam gentem, vt præfatus ſum, ad fidem Chriſti conuertit. Et modò vult Colonienſis Sedem ſupradicti VVillibrordi prædicatoris ſibi contrahere, vt non ſit Epiſcopalis Sedes ſubiecta Romano Pontifici, prædicans gentem Freſonum. Cui reſpondebam, vt credidi, quod maiùs & potiùs fieri debeat præceptum Apoſtolicæ Sedis, & ordinatio Sergij Papæ, & Legatio venerandi prædicatoris VVillibrordi (vt & fiat Sedes Epiſcopalis ſubiecta Romano Pontifici prædicans genti Freſonum, quia magna pars illorum adhuc Pagana eſt) quam deſtructæ eccleſiolæ fundamenta diruta, & à Paganis conculcata, & per negligentiam Epiſcoporum derelicta. Sed ipſe non conſenſit. Sed modò Paternitatis Veſtræ iudicio mihi intimare dignemini: & ſi hoc iuſtum ſit reſponſum & Vobis placeat, quod

illi Colonienſi Epiſcopo reddidi, veſtrâ auctoritate roborare, vt præceptum Sergij Papæ & Sedes illa ſtabilis permaneat. Sic enim poteſtis nos, ſi Vobis placet, adiuuare, ſi de ſcrinio Eccleſiæ veſtræ exemplare iubetis, & mihi tranſmittere, quidquid præfato Epiſcopo VVillibrordo ordinato S. Sergius præciperet & conſcriberet, vt ex auctoritate Sanctitatis Veſtræ contradicentes, conuincere & ſuperare valeam. Si autem aliter iuſtius Sanctitati Veſtræ videatur, conſilium Paternitatis Veſtræ mihi inſinuare dignemini, vt ſequar.

Addit Beka: *Hanc igitur conſultationis epiſtolam Bonifacius ad Romanam curiam tranſmiſit, qui, modico dehinc elapſo tempore, negotio nondum expleto, vitam cum martyrio conſummauit,* anno IↃCCLIV Nonis Iunij.

Hactenùs controuerſia illa atque epiſtola S. Bonifacij, cum illuſtri DAGOBERTI huius laude & chronologiæ noſtræ conſenſu. *Honorificè ſuſceptus,* inquit Beda lib. 5 cap. 20, *S. VVilfridus à barbaris ac Rege illorum Aldgiſlo, prædicabat eis Chriſtum, & multa eorum millia verbo veritatis inſtituens, à peccatorum ſuorum ſordibus fonte Saluatoris abluit. Et quod poſtmodùm VVillibrordus reuerendiſſimus Chriſti Pontifex in magnâ deuotione compleuit, ipſe primus ibi opus Euangelicum cæpit.* Ij ergo ad fidem anno IↃCLXXX conuerſi, videntur ſub DAGOBERTI patrocinio tutelâque vixiſſe, facultatemque eccleſiæ ſibi conſtruendę impetraſſe, cui Epiſcopus Colonienſis, ex præſcripto eiuſdem Regis, Sacerdotem præficere debebat: Aldgiſlo, ſiue Adalgiſo, Regi ſucceſſit Radbodus, ſub quo circa annum IↃCLXXXVIII aut ſequentem in Friſiam venit S. Vulfrannus Archiepiſcopus Senonenſis, ac dein S. Willibrordus

brordus anno IↃCXC, post quinquaginta annos huius gentis conuersioni impensos, VII Nouemb. anno IↃCCXXXIX vitâ functus. Wilhelmus Heda cap. 5 Historiæ Vltraiectinæ, tradit DAGOBERTVM *filium S. Sigeberti Regis* à *Grimoaldo constitutum Episcopum Pictauensem*, & hãc *Ecclesiæ Vltraiectinæ originem* ad DAGOBERTVM I transfert: quæ aliaque eius menda vltrà refutare nil opus. Colitur dictus Vulfrannus XX Martij. De eo nonnulla inquirimus IX Februarij ad Vitam S. Ansberti Archiepiscopi Rotomagensis pag. 346.

X

S. IRMINA *Abbatissa Horreensis, filia* DAGOBERTI II. *Diploma fundationis Horreensis monasterij.*

INter alia quàm maximè intricata, in regno huius DAGOBERTI constituendo, est recta liberorũ eius notitia. Inter hos præcipua est S. IRMINA Virgo monasterij Horrei apud Treuiros prima Abbatissa, etiam Fastis Martyrologij Romani ad XXIV Decembris adscripta. Huic filiæ suæ DAGOBERTVS Rex id monasterium extrũxit, dotauitque: cuius fundationis diploma antiquum, Amplissimus Dominus Ægidius Gelenius, Serenissimi Electoris Colonienſis Historiographus, ac libris eruditis de antiquitate Ecclesiasticâ editis clarus, nobis pro suâ humanitate communicauit ex volumine XXX Farraginis diplomatum historiæ seruientium, attestans illud se Treuiris ex archiuo Horrei Dagobertini anno CIↃIↃCXXXVII, beneficio Annæ Ameliæ ab Hattstein eiusdem monasterij Abbatissæ transcripsisse. Est autem huiusmodi.

In nomine sanctæ & individuę Trinitatis DAGOBERTVS *Diuinâ præordinante prouidentiâ Rex. Si Ecclesiasticis negotiis & seruorum & ancillarum Dei vtilitatibus quęque necessaria prouiderimus, & de nostris rebus aliquod beneficium conferre studuerimus, id nobis ad temporalis nostri regni statum, & æterni promerendum præmium, incunctanter credimus profuturum. Comperiat ergo omnium sanctę Dei Ecclesiæ fidelium, præsentium, & futurorum, industria, quia rogatu dilectæ coniugis nostræ Reginæ... monasterio in Treuericâ valle in honore sanctę Dei Genitricis ab* IRMINA *filiâ nostrâ constructo, & sanctimonialium coadunatione decorato, ex rebus proprietatis nostrę in pago Muselense, in Marcâ Burense, has villas, Machare, Lorriche, Baldebrunno, Hildenesheim, VValeheim, Speia, cuius termini incipiunt in Difenidene, & sic vbi agri coli possunt, & sic vsque Entire; & inde in ripam Dinkolter, & inde sursum ripam vsque ad Aldenfalkenborne, & sic vsque Spalden; & inde ad viam quę dicitur Retweh vsque Richenheiden, & inde inter siluam de Cameric & Breidenwisen, & sic inferiùs vsque Beiheigen, & inde vsque Engelmannesscuren & ad fontem S. Humberti, & ad Engelburne & sic vsque ad Aldenbuche, & inde per rectam viam vsque ad Odenburne, vsque vbi Bure terminatur, & inde in Gizenhelden vsque ad ripam, quæ cadit super molendinum, & inde vsque Engelgere,*

re, & sic superiùs vsque viam saxorum, & inde vsque Fredebertiscilen vsque in Renum Brunniche, cum terris cultis & incultis, vineis, molendinis, pratis, pascuis, siluis, aquis, aquarumúe decursibus, viis & inuiis, exitibus, & regressibus, & quidquid habuimus, legali auctoritate contradidimus; eâ scilicet conditione, vt pauperes Christi inde in reliquum temporalia subsidia habituræ, æternæ vitæ subsidia nobis supplicationibus suis apud Deum possint præparare. Præterea fidelibus nostris, tam præsentibus quàm futuris, notum fieri volumus, qualiter dilectissima filia nostra IRMINA allodium suum, quod in Laudunensi Episcopatu, in his locis, Luduſa, Aneia, Balbengeis, VVartengeis, cum omnibus appendiciis ad eadem loca iustè & legaliter pertinentibus, à sponso suo, Hermanno scilicet Comite, in dotem legali traditione suscepit, pro remedio animæ suæ & prædicti sponsi sui, ad idem monasterium, quod vocatur Horreum, cum XL mansis in ipsâ Treuericâ valle sitis, & extra vrbem istis villis, Orneua, Munzefeldt, VVilare, Ruzfurt, VVinterstorff, Rubera, per nostram manum cum omni integritate contradidit, eâ scilicet ratione, vt sanctimoniales, inibi, Deo sanctęque Genitrici eius perpetualiter famulantes, in eisdē bonis nullius personę magnę vel paruę violentiam patiantur: sed victum & vestitum in semper absque omni inquietudine consequantur; & vt hęc presens traditio tam sua quàm nostra stabiliorem

in Dei nomine ſemper poſsit habere firmitatem, præceptum hoc inde conſcriptum manu propriâ ſubtus firmauimus & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus.

Hactenùs diploma DAGOBERTI, cui clariſſimum lumen affert Theofridus Epternacenſis in Vitâ eiuſdem S. IRMINÆ: vbi de ſponſo eius & extructo monaſterio hæc habet: *Hanc in primæuæ adhuc ætatis flore Hermannus quidam Comes Gallicanus, nobilis & egregiæ indolis, conſcriptâ ſibi ampliſsimâ dote in Tyraſio & aliis locis deſponſauerat: ſed ante diem nuptiarum immaturâ morte præreptus, magnum triſte ſuis, magis autem ipſi ſponſæ ſuæ parauerat. Quam cùm pater benignè conſolaretur, & ditiorem & potentiorem maritum ei polliceretur; illa de hoc promiſſo patris fidem exegit. Quâ acceptâ, protinùs Chriſtum Regem Regum ditiorem & potentiorem omnium, cui ſeruire regnare eſt, in ſponſum elegit. Vnde Rex pietate ac ſapientiâ mirificus ... fauens electioni eius, ad vota ſua animum ſuum laxauit, & præter dotem priuati Comitis, quod eam de hæreditate paternâ vel maternâ contingebat, ad ædificanda Sanctorum loca pro magnificentiâ regali alacriter ei delegauit ... Vnde Treueri in honore Theotocos Mariæ ædificato monaſterio, in loco, qui dicitur Horreum, aggregauit ibi cœtum ſanctimonialium, quarum ipſa facta eſt Abbatiſſa. Quem locum fundis, prædiis & ampliſsimis redditibus ditauit, & regali ditioni tunc temporis eum aſſignauit ... Diligebat præcipuè ſanctiſsimum Dei virum VVillibrordum, qui illo tempore merito & officio digniſsimus Antiſtes ſanctæ Traiectenſis Eccleſiæ primus honeſtè aurigabat currum.*

Hæc ibi, quæ à pleriſque ſcriptoribus, ob memoriam huius DAGOBERTI oblitteratam, ad DAGOBERTVM I transferuntur: quaſi S. IRMINA ex eius vxore Nanthilde nata foret, quã (Gomadrude ob ſterilitatem repudiatâ) eum anno IOC-

XXXV

XXXV duxisse constat, id est, annis solùm nouem & aliquot mensibus, antequã ipse Rex DAGOBERTVS moreretur, relicto ex Nanthilde Chlodoueo II, nondum quinque annorũ puerulo, regnorũ Neustriæ & Burgundiæ hærede. Verùm esto: ante hunc Chlodoueum genita dicatur S. IRMINA; quomodò tamen credi potest, patre superstite, monasterio iam constructo, & sanctimonialibus collectis, memoratum suprà priuilegium ab eo, rogatu matris, impetrasse? Quomodò Treuiris id ab eodem patre dotatum in regno Austrasiorum, quod ab anno IↃCXXXIIX S. Sigebertus, alter DAGOBERTI filius ex Ragnetrude natus, obtinebat? Non fauet etiam subscriptio diplomatis, consultò à nobis in hunc locum reiecta, quæ hoc modo fœdè assutis laciniis reconcinnata: *Actum anno* IↃCXLVI *Incarnationis Dominicæ, Indictione* IV, *data* VII *Kalend. Septemb. per manus Grimoaldi Maioris-Domus regiæ, anno regni Domini* DAGOBERTI II. *Actum Treuiris in Dei nomine feliciter. Amen. Signum* DAGOBERTI *Regis*. Obiit DAGOBERTVS I anno IↃCXLIV die XIX Ianuarij. Expungendus ergo cum Indictione annus Christi, temporibus regni Francorum primæ stirpis Merouingicæ discernendis, vt sæpiùs monuimus, neutiquam solitus adhiberi, à posteris, vt passim alibi, ineptè intrusus. S. Pippino Duce eo anno mortuo, præfecturam aulæ susceperat quidem Grimoaldus, sed sub S. Sigeberto filio DAGOBERTI. Cuius proinde etiam submoto nomine hæc fortè verba solùm reponenda: *Data* VII *Kalend. Septemb. anno regni Domni* DAGOBERTI VII. *Actum Treuiris in Dei nomine feliciter. Amen. Signum* DAGOBERTI *Regis*. quod signum ex litteris nominis more illius ævi efformatum erat. Annus is VII DAGOBERTI II, filij Sigeberti, conuenit in annum Christi IↃCLXXXVI: quando S. IRMINA potuit egisse annum ætatis decimum sextum. Quod cõ-

iugi

iugi Dagoberti matri S. IRMINÆ nomẽ fuerit, neſcitur. Fuêre DAGOBERTO I, præter alias, duæ coniuges Reginæ Nanthildis & Berthildis; Chlodoueo II Bathildis, ſeu Baldechildis; S. Sigeberto Emnechildis; Childerico Bilichildis: iſta in diplomate iam memorato dicitur Nanthildis, nomine aut à poſteris intruſo, qui diploma DAGOBERTO primo affinxerunt; aut certè, ſi illud ei nomen, aliudúe non abſimile fuerit, inde arrepta occaſio errorum: ad quos euitandos nomen eius in diplomate non expreſſimus.

XI

Beneficia à S. IRMINA *filiâ* DAGOBERTI *præſtita S. VVillibrordo, potiſſimùm pro Epternacenſi monaſterio.*

DAGOBERTO II igitur, filio S. Sigeberti, Regi Auſtraſiorum, filiam fuiſſe S. IRMINAM perſuadent tum regnum illius Auſtraſianum, tum ætas filiæ, ac præcipuè quòd temporibus S. Willibrordi Vltraiectini Epiſcopi, SS. Baſini & Lutwini Treuirenſium, Pippini Herſtalli Maioris-Domus, Regumque DAGOBERTO II iuniorum vixerit. Cùm apud Treuiros degeret S. Willibrordus, monaſterium Epternacenſe, in Ducatu nunc Lutzeburgenſi ſitũ, ad Surã fluuium S. IRMINÆ prouocatus liberalitate, condidit, rebuſque neceſſariis ad vſum habitationemque cœnobitarum inſtruxit. Diploma donationis edidit Miræus lib. 2 Diplomatum Belgicorum cap. 4 & in Notitiâ Eccleſiarũ Belgij cap. II. Signatum *Treuiris ſub die Kalendarum Nouẽbris anno* IV *Domni noſtri Childeberti Regis*, id eſt, Chriſti 1000 I. aliud dein ſub titulo Teſta-

Testamenti conscriptum *ex Theofrido & MSS. Theoderici Epternacensis* refert Browerus lib.7 Annalium Treuirensiũ, sed *verbis*, vt asserit, *paullulùm deflexis*: quod, quia minùs vulgò notum, hîc damus.

IRMINA *in Christi nomine Deo sacrata, etsi indigna, gratiâ Domini Abbatissa, sana quidem, Deo propitio, sanoque consilio testamentum perscribendum rogaui, idque negotium fratri in Christo meo Huncioni Presbytero mandaui. Dono itaque in præsentiâ tam pro remedio animæ meæ, quàm pro nonnullâ mercedis etiam huius in illis sempiternis gaudiis accessione, Basilicæ sanctæ Trinitatis, beatæ Genitricis & SS. Petri & Pauli Apostolorum honori consecratæ, quæ est in prædio nostro extructa Epternaco ad amnem Suram, vbi Dominus & Pater noster in Christo VVillibrordus Episcopus, rector & gubernator esse videtur; donatumque esse iubeo, quidquid id est, quod ex patris ac matris successione creuit, domos, ædificia, casas, mansos, vineas, prata, campos, siluas, & horum omnium appendices, Baidelingum, Matholfingum, portionemque nostram in Oxinuillario, cuncta, inquã, hæc lego cùm pastoribus, bubulcis, subulcis, opilionibus, armentariis, horum item greges, armenta, & eorum promiscuũ omne peculium; quibus tamen libertos annumerari non volo, quos per epistolas meas manumissos, ingenuos pronuntiaui, Gararium, Cuntoaldum, Archildem, Theodfridum & alios complures. Iterum dono, quidquid ad ministerium loci,*

quem diximus, subsidiumque paratum hactenùs & à me cõquisitum est, tam in auro, quàm argento, gemmis, vestimentis, altarium velis, cortinis, vtensilibus tam æneis quàm ferreis ligneisque: omnia verò de sententiâ consilioque tam Virginum, quæ mecum vnà congregatæ viuunt, quàm Apostolicorum virorum Basini & Lutuuini Episcoporum. Ego Hũcio in Christi nomine Presbyter, rogante & iubente Dominâ meâ IRMINA, *hoc testamentum perscripsi, & ipsa subter manu propriâ vnà cum testibus firmauit. Ego* IRMINA *hoc testamentum meum relegi. Ego Lutuuinus Episcopus. Ego Theodfridus & ceteri subsignauimus. Actum Treberi die Kalendarum Decembris anno quarto regni D.N. Childeberti Regis.*

Is est annus Christi 1occi. Habebat Pippinus Herstallus luculentas possessiones Epternaci, quas S. Willibrordo etiam donauit, secundùm hanc formam è Theoderico editã à Browero:

Ego in Dei nomine illustris Vir Pippinus, filius Ansgisi quondam, nec non illustris matrona mea Plectrudis, filia quondam Hugoberti, reputantes varios nobiscum humanæ fragilitatis casus; quo nimirum & præteritæ vitæ possimus abluere sordes, & donante Domino ad æterna gaudia peruenire; donamus monasterio in loco, qui cognomentum gerit Epternacum, pagoq; Bedensi ad Suram amnem extructo, cui virum strenuum & Dei cultorem, Apostolicum VVillibrordum Episcopum, cùm turbâ monachorum imposuimus, illud Epternaci dimidium, quod Theodharius quondam Dux ibidem obtinuit, & posteà filius eius Theodhardus nobis quondam tradidit:

iis

iis tamen facultatibus exceptis, quas IRMINA *in ipso Epternaco possedit. Actum Gaimundis* III *Idus Maias regni D.N. Childeberti anno* XII. *Pippinus & Plectrudis, item Chudbertus, Bernarius, Charibaldus, Constantinus, Iosephus, VVinetharius subscripsêre.* Fuit is annus Christi 1DCCIX aut sequens. Vtramque hanc Epternacensibus factam donationem & S. IRMINÆ & Principum Pippini ac Plectrudis paucis describit Theofridus in Vitâ S. IRMINÆ.

Ab hac dein euocatus S. Willibrordus Treuirim, Horreense monasterium peste liberauit: quod beneficium carmine heroico celebrat Alcuinus Flaccus in Vitâ S. Willibrordi. Visitur iuxta Horreum antiquæ religionis parœcia S. Paulo sacra, & monasterio attributa, quam S. Willibrordum, Sacerdotum duodecim prouentu ab S. IRMINA locupletatam, solenni cæremoniâ consecrasse, scribit idem Theofridus in huius Vitâ; additque illi ab eâ etiam Montisvillam in pago Zulpiaco traditam esse.

XII

Horreensis Abbatissa post S. IRMINAM *Anastasia, non S. Modesta. S. Chlodulfus Episcopus Metensis fuit, non Treuirensis.*

TRithemius in Compendio libri I Annal. Francor. opinatur *huic* IRMINÆ *in regimine sanctimonialium successisse Modestam cœnobij Romarici alumnam, & filiam sororis B. Modoaldi Archiepiscopi Treuirorum, dein Anastasiam, & quarto loco Basilissam.* Quæ Browerus monet, *Trithemium* scribere, *priuata monumenta secutum*, eamque *successionem non esse certam.* Imò

idem Trithemius lib. 3 de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 143 agit de S Modestâ Abbatissâ, atque ipsemet, quod alibi scripserat, refellere videtur. *Volunt autem quidam*, inquit, *quòd hæc sacrata Virgo fuerit secunda Abbatissa in Horreo Treuirensi: quòd an ita sit, temporis dissensio me non sinit discernere. Probet alius.* Scilicet qui antè scripserat hanc successionem contigisse sub Chlodoueo filio DAGOBERTI I, etiam lib. 3 de Viris illustribus cap. 138, subiungit S. IRMINAM *S. VVillibrordo*, aitque *claruisse anno Domini* IↃCCX. Et hac de caussâ Browerus S. Modestam inter Treuirenses nusquam recenset, innuens *alumnam esse cœnobij S Romarici, quod apud Mosellam est, nunc simul oppidum Lotharingiæ*, in Comitatu Auendẽsi à S. Romarico extructum, cuius fundationis diploma legitur apud Ruerum lib. 4 Antiquitatum Vosagensium sub finem Vitæ S. Romarici. Hinc in Vitâ S. Gertrudis Niuellensis illius cõsobrinæ, quæ anno IↃCLXIV statim à morte illi apparuit, non legendum est: *In Treuirensi monasterio Abbatissa fuit, Modesta nomine*; sed potiùs, *In Auendensi monasterio.* Neque enim Treuiri monasterium, sed vrbs erat, varia complectens cœnobia. Nec vnicus ille error inibi est, Sequitur enim: *Cùm autem crastinus dies aduenisset, ciuitatis Episcopus, nomine Clodulphus, venit ad monasterium prædictæ Modestæ. . . . Ille per ordinem narrauit staturam corporis eius & speciem decoris eius.* Est hic S. Chlodulphus Episcopus Metensis, cuius frater Ansigisus Dux S. Beggam sororem Gertrudis vxorem duxerat. Addendum igitur, *ciuitatis Metensis Episcopus*, pro quâ voce in aliis MSS. substitutum, *ciuitatis eiusdem Episcopus.* At Surius mutato stylo edidit *Treuirensis Episcopus.* Nam anno illo IↃCLXIV præerat Ecclesiæ Treuirensi S. Numerianus, electus tempore S. Sigeberti Regis, & posteà sub Childerico mortuus. Ex illâ nihilominùs mendâ alius.

lius & peior succreuit error, quo S. Chlodulphus relictâ Sede Metensi, dicitur factus Archiepiscopus Treuirensis: sed de tempore inter auctores non cõuenit. Alij cum Claudio Roberto substituunt S. Modoaldo ante Numerianum, alij cum Scheckmanno ac Meurissio in sequens reiiciunt seculum, quo dicunt S. Lutwino successisse, rati etiam tum S. IRMINÆ successisse Modestam: quasi eò vsque vixisset S. Gertrudis, & mox ab obitu S. Modestæ apparuisset.

Successisse S. IRMINÆ cum Browero opinamur Anastasiam, de quâ Theodericus ex veteribus testamentorum codicillis hæc refert apud eumdem Browerum: *S. VVillibrordus & Domina Anastasia Abbatissa puellarum in Horreo fecerunt inter se commutationem vinearum, & dedit Dominus VVillibrordus Dominæ Anastasiæ vineæ petituras duas, in monte Paginse iuxta flumen Rhenum, cum vinitore & omni peculio suo, quæ sibi illustris fœmina Irmentrudis filia Pantini, consobrina S.* IRMINÆ, *dederat. Et recepit ab eâ alias duas petituras in monte Labracensi super flumen Mosellæ cum vinitore & omni peculio.* Hæc ibi. Willibrordus Boschartus dissertatione 99 de Frisiæ veteris primis Apostolis, duas obtrudit IRMINAS, filias Regũ DAGOBERTORVM, quarum alterâ scribit DAGOBERTI I. filiam, Horreensis cœnobij fundatricem primam, quòd post huius discessum S. Modesta cũ Modoaldo Archiepiscopo Treuirensi, auunculo suo, fundationem promouisse dicatur in priuilegio isti monasterio dato à Leone Papâ: quem ipse cum Miræo, qui illud edidit lib. 2. Diplomatum Belgicorum cap. 3, attribuit S. Leoni II, qui sedit à XIV Augusti anni IↃC-LXXXIII. ad XXVIII Iunij anni sequentis. Browerus cõtrà tradit impetratum à Leone III, qui præfuit Ecclesiæ ab anno IↃCCXCV ad annum IↃCCCXVI, censetque *à posteris interpolatum*, vt inde nihil certi confici possit. Alteram IRMINAM

arbitratur Boschartus fuisse *filiam* DAGOBERTI II *qui ab anno* IↃCCXVI *ad* IↃCCXXII *regnârit*, eamque *S. VVillibrordo deuotam*, cuius dein *donationis chartulam* edit, signatam *anno* IV *Childeberti Regis*, patris dicti DAGOBERTI, vt eam Irminam necesse foret ante auum, qui iuuenis cœpit regnare, natam fuisse. Huius etiam DAGOBERTI filiam censet Scipio Dupleix S. IRMINAM fuisse. Ipsum Leonis diploma damus, vt eius diiudicatio sit penes lectorem. ita ergo legitur:

Ego Leo Vicarius S. Petri Principis Apostolorum, meritis quidem impar, vice tamen ipsius dignitate Romani fungens præsulatus, cœnobium Horreense à Modovvaldo Treuirorum Archiepiscopo, subministrante B. Modestâ, filiâ sororis eius, è regalibus horreis, à quibus & nomen accepit, ad diuini cultus officium restauratum, post discessum beatæ Virginis Irminæ, quæ prima hunc locum prouehendum suscepit, tantâ reuerentiâ & honore adprimè donatum accepimus, vt matre istius congregationis vitâ excedente, nulla ab extraneis quocumque modo, sed vna ex ipsis subrogetur, Principibus Ecclesiæ Treuirensis ex consulto fauentibus, Sororibus electione potitis, ipso quoque Præsule deuotè annuente. Quod tantâ auctoritate subnixum, vt in æternum stabile permaneat & fixum: vt in nomine Iesu Christi Domini nostri, sanctiq; prædecessoris Petri, & omnium electorum Dei, æterno seruetur damnandus iudicio, si quis Prælatus tanto hîc cõmorantes exinaniuerit priuilegio. Fiat, fiat, Amen, amen.

Hactenùs illud diploma apud Miræum adiunctum alteri diplomati, quo DAGOBERTVS I possessiones Ecclesiæ metropolitanæ Treuirensis dicitur confirmare: in quo hæc leguntur: *Præcipimus atque iubemus, vt omnes res vel facultates ad Ecclesiam B. Petri Treuericæ vrbis pertinentes, scilicet cellam S. Hilarij, quæ nunc appellatur S. Maximini, quæ est in prædio S. Petri constructa, & cellam S. Paulini & S. Eucharij, & monasterium S. Mariæ*

S. Mariæ quod idem præfatus Modovvaldus in territorio S. Petri nuper à fundamentis construxit, quod vocatur Horrea, & basilicam S. Martini .... sub iure & potestate S. Petri Treuirensis ecclesiæ eiusq; Pontificis perpetualiter mancipata permaneant ... Extat illud diploma à Franciſco Roſierio in Stemmatis Lotharingiæ editum pag. 1 ſed mirè intricatum, in quo tertiò repetitur nomen *Arnulphi Ducis Auſtriæ Moſellanicæ*, idque anno IↃCXXIII, quo S. Arnulphus erat Epiſcopus Metenſis, non Atto, ſiue Abbo, qui iſti Epiſcopus Metenſis ſubſcribit. Adduntur ſigilla varia conficta, vt DAGOBERTI *Regis habens inſculptum ſcutum liliis plenum*, qui ritus poſterioribus temporibus inductus fuit. Nicolaus Zylleſius in defenſione Abbatiæ Imperialis S. Maximini idem diploma, ſed hinc inde correctum, exhibet, ab aduerſariis obiectum, quod nihilominùs §§ nouem à pag. 58 ad pag. 71 cõfictum eſſe demonſtrat. Browerus pag. 422, *Si à vertice*, inquit, *vſque ad extremum vnguem hæc* in eo diplomate contenta, *cõferas, nihil, meâ quidẽ ſententiâ, hîc ſani reperies.* Eodẽ modo menda adſperſa apparent nonnulla in citato diplomate ſub nomine Leonis Papæ. Quomodò enim deceſſerat S. IRMINA, cùm Horreenſe monaſteriũ, ſubminiſtrante ſumptus B. Modeſtâ, reſtauraret Modoaldus Epiſcopus, quod in altero diplomate dicitur *à fundamentis conſtruxiſſe* ante *annum* XXIII, aut, vt alij, ante *annum regni* XII, *Chriſti* IↃCXXXIII? Quomodò, inquam, tum è vitâ deceſſerat S. IRMINA filia DAGOBERTI & Nanthildis, quam, legitimâ coniuge Gomadrude anno ſequente IↃCXXXV repudiatâ, duxit? Quidni S. Leonis IX ex Epiſcopo Tullenſi anno CIↃXLIX Pontificis Romani creati, à quo ſuprà diximus conſtitutionem pro monaſteriis Stabulao & Malmundario factam eſſe, potiùs dicatur citatum ſuprà diploma fuiſſe, qui tum ob libellum ſupplicem à quopiam

piam imperito antiquæ historiæ conscriptum, approbârit liberam Abbatissæ electionem, minimè à simili controuersiâ dependentem? Fauet huic coniecturæ, quòd cœnobium S. Romarici, in quo S. Modesta vixit, in diœcesi fuerit Tullensi, vt vel inde appositio S. Modestæ nomine, eius beneuolentiam conciliandam auctor libelli supplicis speraſſe videatur. Demum, quidni tam potest illa Leonis Papæ constitutio suppositia censeri, quàm, vt Browerus scripsit, à posteris interpolata?

XIII

Sepultura S. IRMINÆ *apud VVissenburgenses. Hoc monasterium à* DAGOBERTO *parente dotatum. Alia monasteria à* DAGOBERTO *fundata aut dotata.*

ALbum-Castrum, inquit Gaspar Bruschius, *vel VVeissenburgum, monasterium instituti Benedictini, vnum ex Germaniæ omnibus antiquissimum ac potentissimum: vna item ex quatuor illis sacri Romani Imperij abbatiis, Ducali dignitate conspicuis, Fuldensis, Campidonensis, ac Murbacensis Abbatiarum in hac felicitate consors ac socia. Id, inquam, amplissimum cœnobium in mediâ Alsatiâ ad montana Vosagi & in eiusdem nominis imperiali oppido ad amnem Lutharum, qui mediam ciuitatem perfluit, amœnissimo loco situm, Spirensis diœceseos, quod alibi VVitzenburgum, quasi sapientiæ castrum dicitur, quod nomen scholæ & academiæ tali pulchrè conuenit. Fundatum ac inchoatum legitur anno* IOC-XXIII, *dotatum verò & auctum anno Christi* IOCLXIV *à* DAGOBERTO *potentissimo Galliarum Rege, cuius filia Domna* IRMINA, *prima*

prima fundatrix & Abbatissa Horrei Treuerensis, in sinistrâ VVeissenburgensis summi templi absidę, sublimi & magnifico mausoleo (in cuius summitatem Clerus eius loci circa Paraseues festum, Corpus Dominicum collocare solet) deposita, ac terræ omnium parenti reddita est. Hactenùs Bruschius in Monasteriorum Germaniæ chronologiâ. Addit Coccius in DAGOBERTO cap.18, *intra ipsam aram D.* IRMINÆ DAGOBERTI *Regis filiæ sacrum corpus loculo includi, cum hac inscriptione:*

HIC RECONDITVM EST INTEGRVM CORPVS B. IRMINÆ VIRGINIS, FILIÆ DAGOBERTI REGIS FRANCORVM, FVNDATORIS HVIVS MONASTERII.

Quando illud ibi positum sit epitaphium, nusquam legimus. Ex Chronico Spanheimensi, quod Trithemius huius loci Abbas scripsit, ante quingentos annos illud ibi extitisse colligi posse videtur. Nam *anno* CIↃCLII, vt ille tradit, *Crafto secundus huius monasterij Abbas multis precibus impetrauit caput* S. IRMINÆ *Virginis, filiæ quondam* DAGOBERTI *Regis Francorum, quæ fuit prima Abbatissa monasterij in Horreo Treuirensi.* Erat Craffto Megenhardi Comitis de Spanheim, & dicti monasterij fundatoris filius, anno CIↃCXLIX, vt idem scribit Trithemius, sub Bernhelmo primo Abbate factus monachus, relictâ sponsâ, nomine Clementiâ, filiâ Adolphi Comitis Altimontensis, quæ in monasterio S. IRMINÆ deinceps sanctimonialis vixit, de quâ nos alibi. Delato ergo ad Spanheimenses sacro capite S IRMINÆ, *integrum corpus* (quod in Epitaphio legitur) non adseruabatur Weissenburgi: nisi quis interpretur *totum corpus*, præter caput; vel *totum*, quia pleraque ossa corporis. In Fragmento historico, quod Alberti Argentinensis Chronico præfixum est, dicuntur SS. Arbogastus & Florentius sub DAGOBERTO I floruisse,

atque hic ad annum IↃCLXXIV vixisse. Quæ errata suprà correximus, ac sanctos illos Antistites tempore DAGOBERTI II in Alsatiam venisse demonstrauimus. Similes errores chronologici in antiqua Weissenburgensia monumenta, quæ Bruschius descripsit, videntur irrepsisse. Fatetur hic auctor, *catalogum Abbatum*, quem partim Weissenburgi ipse collegit, partim Philippus Flersheymius Episcopus Spirensis illi communicauit, *initio perturbatum ac mendosum videri.* Primus Abbas statuitur Principius, qui & Episcopus Spirensis fuit, sed *cui dignitati priùs præfectus incertum*, ait Bruschius. Agunt de eo in Catalogo Episcoporum Spirensium idem Bruschius, Eisengreinius, Philippus Simonis aliique, ac præfuisse illi Ecclesiæ tradunt sub *Sigeberto* DAGOBERTI *filio*: accepisseque ab eo Rege *decimas omnium victualium in agro Spirensium prouenientium, quæ anteà Regi dari consueuerant.* II Abbas Weissenburgensis statuitur *Cheodonius.* III *Radefridus. Huic*, inquit Bruschius, *Badenses thermæ concessæ esse leguntur.* Huius donationis tabulas ex Coccio hîc referimus, quòd prorsus arbitremnr ad DAGOBERTVM II spectare.

DAGOBERTVS *Rex Francorum viris illustribus, Ducibus, Comitibus, Domesticis, vel omnibus gentibus tam præsentibus quàm futuris. Illud ad stabilitatem regni vel remedium animæ nostræ perdurare credimus, si petitiones Sacerdotũ, quas auribus nostris patefecerint, ad effectum perducimus. Ideò cognoscat magnitudo seu nobilitas vestra, quia nos ad suggestionem viri venerabilis* RATFRIDI *Abbatis de monasterio VVeissenburgo, balneas illas trans Rhenũ in pago Auciacensi sitas (quas Antoninus & Adrianus quondam Imperatores suo*

opere

opere ædificauerunt) ad monasterium, quod dicitur VVeissenburg, & est constructum in honorem S. Petri in pago Spirensi, visi fuimus concessisse, cum omnibus & cum ipsâ marchâ ad ipsas balneas pertinente, quæ venit de duobus lateribus vsque in fluuium Murga, & de vnâ fronte ad partem occidentalem rasta vna, & de aliâ fronte ad partem orientalem leucas sex, quas homines loci istius dicunt rastas tres esse. Propterea hoc præceptum cessionis fieri iussimus, vt ab hac die memoratus RATFRIDVS *Abbas vel Patres ipsius monasterij VVeissenburgensis, suique successores vel monachi ibidem commorantes, de suprascriptis balneis, quas dicunt Aquas calidas, vel marchâ ad ipsas balneas pertinente, faciant quod maluerint: hoc est, habendi, tenendi, suisque successoribus relinquendi, firmissimam habeant in omnibus potestatem. Et vt hæc præsens auctoritas firmior sit, manu nostrâ vel annulo nostro subter eam decreuimus roborari. Data sub die* XI *Augusti anno secundo regni nostri. In Christi nomine,* DAGOBERTVS REX.

Hæc regia diplomata, addit Coccius, *cùm aliis compluribus Rudigerum, Abbatum VVeissenburgensium postremum, eumdemq; primum Præpositum, anno* CIↃIↃV *Maximiliano Augusto eiusq; filio Philippo Hagenoæ & frequentissimo S. R. I. Principum cœtui ius contra Philippum Comitem Palatinum Rheni dicenti exhibuisse, fasti Alsatici asserunt. Thermæ porrò Badenæ posteris annis in eiusdem appellationis Marchiones domi militiæq; id temporis inclytos, & huic Ecclesiæ liberali clientelâ deuinctos, feudi iure translatæ*

sunt. Hæc Coccius. Ceterùm annus II regni DAGOBERTI II apud Austrasios, quem suprà intelligi debere arbitramur, concurrit cum anno Chr. IↃCLXXXI, septemdecim scilicet annis elapsis post annum IↃCLXIV, quo, vti à Bruschio suprà & Munstero in Cosmographiâ obseruatur, à DAGOBERTO monasterium Weissenburgense dotatum auctumque. Verùm iam tum viginti annos è viuis excesserat DAGOBERTVS I, & nepos eius DAGOBERTVS II exul in Hibernià degebat.

Extat aliud DAGOBERTI Regis diploma, quo fundatur & dotatur monasterium Weissenburgense, relatum à Trithemio lib. I compendij Annalium de origine gentis Francorum, Munstero, Coccio: eiusdemque meminit Martinus Magerus de Aduocatiâ armatâ cap. 9 num. 513. In eo diplomate multa difficilia sunt. Primò narratur visio Regi facta, apparente inter Sanctos Christo Iudice, eiusque rapinas culpante, tum S. Dionysij patrociniũ, Regisque votum de extruendo monasterio. Quæ verbis omnino eisdem referuntur in diplomate donationum monasterio Haselacensi factarum, quod à DAGOBERTO II fundatum esse diximus, eaque tamquàm à posteris ineptè infarta reiecimus. Clausula ita legitur apud Munsterum: *Datum in ipso monasterio mense Maio anno regni nostri* XXIII, *anno Domini* IↃCXXIII. quẽ annum etiam adnotarunt Bruschius & Eisengreinius. Obseruat Coccius apud Trithemium esse adtextum *annum Christi* IↃCXXIX, qui omissus est in operibus eius anno CIↃ-IↃCI recusis, in quibus hæc clausula est: *Datum, quod fecimus in ipso monasterio, mense Maio, die* XI, *anno regni nostri* XXIII, *in Christi nomine feliciter. Amen.* At non nisi octodecim annos imperauit Austrasiis DAGOBERTVS I, ab anno scilicet IↃCXXI ad IↃCXXXIX, quo filius eius Sigebertus regnum

Austrasiæ

Austrasiæ accepit. Diplomati Haselacensi, in quo eamdem de raptu DAGOBERTI ad tribunal Christi fabulam narrari diximus, hæc clausula apponitur: *Datum quod feci cum filiis meis, Chlodoueo scilicet atque Sigeberto in dicto Haselacensi monasterio ...anno ab Incarnatione Domini sexingentesimo tredecimo mense Aprili, die sextâ decimâ.* Quibus omnibus expunctis, ostendimus Haselacensis monasterij fundatorem agnosci debere DAGOBERTVM II, quod de Weissenburgensi monasterio etiam dicēdum esse propius vero videtur. Bruschius addit DAGOBERTVM *Regem dedisse Abbati Principio exemptionis ab omni iugo Episcopali & aliarum plurimarum libertatum priuilegia.* quæ in eo diplomate habentur absque mentione *Principij*, sed & *Catalogum Abbatum initio perturbatum ac mendosum esse* ex ipso Bruschio diximus. Dein quæ in eo diplomate leguntur priuilegia, videntur plurima ab Imperatoribus posteà concessa, quale est, quòd *monetain se habens imagines, exprēssamq; similitudinem Nemetensis monetæ, eidem loco concedatur.* Verùm de his securius ferri iudicium posset, si extarent, quæ illi monasterio ab sequentibus Regibus atque Imperatoribus sunt impertita priuilegia.

Rex DAGOBERTVS, *pater* S. IRMINÆ, *coronam insignem candaliferam argenteam, auro subductam, turribus & sumptuosissimo opere elaboratam in eadem ecclesiâ* Weissenburgensi *à summis lacunaribus dependentem fieri curabat, quæ hodie adhuc incolis visendam se offert.* Ita Eisengreinius ante annos ferè centum: qui relato obitu DAGOBERTI I ad annum IↃCXXXII, subiungit: *S. Lutuuinus Galliæ Belgicæ Dux, Treuirorum Archimysta constituitur anno* IↃCXXXIII. quod factum esse circa annum IↃCC dicetur infrà lib. 4. Ast hîc scriptoris insciti am agnosci satis est.

Alia itidem monasteria in eisdem regionibus extructa

DAGOBERTVM Regem, parentem ſuum ac conditorem agnouerunt. Eiuſmodi ſunt Clingenſe, quod Weiſſenburgo duabus leucis diſtat, ab hæreticis deiectum: Regio pontanum, vulgò Konigs-brug, Sacro-nemori vicinum, quod nunc eſſe Ordinis Præmonſtratenſium parthenonem tradit Coccius cap. 19, qui cap. 6 aſſerit DAGOBERTVM *præclarè meritum eſſe de monaſterio Mauri* haud procul ab Tabernis Alſaticis, ac *gratam eius memoriam poſteris commendari in elenchis eiuſdem cœnobij*. Theodericus Rex vltimus illius nominis, de quo lib. 3 agemus, priuilegia deceſſorum Regum confirmauit, diplomate dato *Metis in cœnobio S. Arnulphi Kalendis Maij, anno regni* V, *Chriſti* IↃCCXXIV, quod ita incipit: *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Theodericus Diuinâ fauente clementiâ Rex Francorum viro illuſtri Luthfrido Alamannorum Duci*. Eſt hic filius Adalberti, etiam Alamannorum in Alſatiâ Ducis & fratris S. Odiliæ: à quorum altero fratre Athico Habsburgicos atque Auſtriacos vetuſtiſſimæ ſtirpis ſuæ originem habere tradunt Vignerius & Chifletius. In dicto autem diplomate deceſſores Reges memorat Theodericus: *Vnde*, inquit, *Abbas Maurus præceptionem Childeberti Regis*, ac monaſterij illius fundatoris, *ſeu diuæ recordationis Theodeberti, Chlotharij*, DAGOBERTI, *Sigeberti, itemq;* DAGOBERTI, *quondam Regum, nobis ad oſtentationem oſtendit*. En S. Sigebertus inter duos DAGOBERTOS, patrem ſcilicet DAGOBERTVM I, & filium DAGOBERTVM II, quantum aſſequi poſſumus. Demum quod prope vrbem Spirenſem extat monaſterium S. Germano dicatum, à DAGOBERTO extructum atque egregiis dotatum prouentibus tradunt Eiſengreinius, Philippus Simonis aliiq́ue. Sed quamdiu antiqua non proferuntur monumenta, quis intelligendus ſit DAGOBERTVS, incertum.

XIV

Aliæ DAGOBERTI *Regis filiæ. Palatiolum monasterium ab* ADELA *tum viduâ fundatum. Albericus huius filius, nepos* DAGOBERTI, *pater S. Gregorij Vltraiectensis, an etiam auus S. Alberici Episcopi Vltraiectini?*

ALtera DAGOBERTI Regis filia, ADELA, siue ADHELA nomine, post mariti obitum, IRMINÆ sororis exemplo inflammata, monastico item cultu assumpto, vitam sanctissimè traduxisse, ac monasterio Palatiolo Abbatissa præfuisse fertur, à Saussaio ad XXIV Decembris cum S. IRMINA sorore Martyrologio Gallicano inscripta. Custoditur, teste Coccio in DAGOBERTO cap. 12, in vetustis Ecclesiæ Treuirensis monumentis testamentum eius, quo hæredem bonorum omnium Palatiolensem Ecclesiam scribit. Id à Browero pag. 430 editum hîc subteximus.

ADELA *in Christo Domino sacrata Abbatissa,* DAGOBERTI *Regis quondam filia. Cùm peruulgatum notumque bonis omnibus sit; quemadmodùm nos monasterium in villâ, quæ dicitur Palatiolum, in ripâ positum fluminis Mosellæ, quod ipsum à Pippino Maiore-Domus Treuiris permutatione quæsiuimus, honoriqúe S. Mariæ Virginis, Genitricis Domini nostri Iesu Christi, & Beatorum Petri & Pauli ceterorumque Sanctorum iam dudum ad proprij monasterij vsum extruxi-*

extruximus, in eoque monacharum cœtum disciplinâ & regulâ S. Benedicti viuentium aggregauimus; faciendum denique nobis visum est, vt has vitæ degendæ necessarias opes, quas de propriis hactenùs largitæ sumus, testamenti etiam præsenti paginâ confirmaremus. Legamus itaque & donamus huic, quod diximus, monasterio villam nostram, quæ dicitur Palatiolum, in quâ cœnobium esse constructum videtur, idque cum omni integritate tam domibus, ædificiis, additamentis, casis, curtibus, mansis, mancipiis, quàm vineis, campis, pratis, siluis adiacentibus, farinariis, aquis, aquarumque decursibus, & omnibus iis, quæ ad ipsam pertinere villam constat. Addi volumus his prædium Scripnasium in pago Mosao situm, adipsius Mosæ fluminis ripam, omnesque possessiones eiusdem villæ, vno duntaxat quadraginta iugerum agro excepto, quem Insulæ nomine appellatum, iam antè dulcissimo filio ALBERICO *donauimus. Similiter à Deiparæ matris hoc monasterio possideri prædia ea omnia mea volo, quæ in Bietbergis Beslancioque sita: quæque à dulcissimâ germanâ meâ* REGENTRVDE *dato pretio comparaui. Rursus portiones meas villarum Enchiariaci, Vrsiaci, Caimetarum his adiicio, quæ ad Mosellam omnes sitæ sunt: quibus adiungi res item eas facultatesque placet, quæ in prædio Regimoseti à Feronio filio Tullonis iustæ mihi venditionis titulo quondam obtigêre. Accedunt etiam his possessiones Baldelingis,*

gis, quæ in pago sitæ Bentensi, & à Ganciofrido & VVigerico emptæ, in ius peculiumque meum redactę sunt: item quę in prędio Machariaco à Bertonio mihi donata, hęc omnia cribuo donoque. Ad extremum id quoque de sententiâ congregationis memoratę statuimus, vt quidquid opum possessionumque in monasterium hoc ipsum contulimus, id in Archiepiscoporum Ecclesię Treuericę semper sit arbitrio atque tutelâ. Datum Kalendis Aprilis, anno XII *Theoderici Regis.*

Est is Christi IↃCCXXXI. Nam sub vltimo Theoderico decessisse è viuis ADELAM constat. At locus is Canonicorum est collegio, à quo hodieque possidetur, posteà attributus, ab vrbe passuum circiter tria millia in Septemtrionem, Treuirorum suburbano quondam annumeratus, & Episcoporum habitatione illustris, nunc mœnibus auctus ac præterlabentis Mosellæ iocundus adspectu, nomen Palatioli à veteri palatio retinet: vti tradunt Coccius, Browerus, aliique;

Tertia soror S. IRMINÆ & ADELÆ à domesticis scriptoribus, inquit Browerus, habetur REGENTRVDIS, quã ADELA in testamento iam recitato *dulcissimam suam germanam* agnoscit, reliqua latent. Coccius cap. 12 omissâ REGENTRVDE, substituit ROTHILDEM, siue RATHILDEM, eamque esse ex filiabus DAGOBERTI Regis, cui S. Florentium luminum & linguæ vsum Diuinâ ope reddidisse diximus, ideoque illam etiam præ reliquis subscripsisse diplomati donationum S. Florentio à Rege DAGOBERTO factarum. Addunt Sanmarthani lib. 4 Genealogiæ Regum Francorum, eius nuptiis adstitisse beneque precatum esse S. Florentium Episcopum Argentoratensem: nupsisse Luderico Bucano, quem veteris

tis castri Insulensis, quod vulgò *de Buck* appellant, condirorem volunt, ac ditionis Gallo-Flandriæ (quam Ludouicus Pius Imperator in diuisione regni *Medenentum*, Audoënus in Vitâ S. Eligij *Medenatum* ferè dixerunt) præfecturam administrasse. Quod defectu antiquorum monumentorum non satis liquet, potissimùm cùm Ludericus diu ante tempora S. Florentij videatur floruisse.

DAGOBERTI II nepos ALBERICVS, filiâ eius ADELA natus, plures procreauit liberos, è quibus fuit S. GREGORIVS, qui Vltraiectinæ Sedi vice Episcopi præfuit Presbyter, in cuius Vitâ S. Ludgerus eius discipulus scribit, *S. Bonifacium post tredecim annos peractæ in Fresoniâ prædicationis peruenisse ad Palatiolum monasterium Virginum prope Treuiris ciuitatem in ripâ fluminis Mosellæ, cui tunc præerat Abbatissa nomine* ADDVLA, *religiosa valdè & timens Deum..... Per idem tempus electus puer* GREGORIVS, *quasi quartum decimum aut decimum quintum agens ætatis annum, Dei instinctu venit ad auiam suam, id est, ad matrem patris sui* ALBRICI *supradictam Abbatissam Deum timentem* ADDVLAM.... *Nolens ab eo vltrà disiungi, iuit ad auiam suam prædictam Abbatissam venerabilem* ADDVLAM, *dicens, se velle cum homine pergere, & ad discendos diuinos libros discipulatum eius subire.... Videns ergo famula Dei* ADDVLA, *quia prudens erat fœmina, animum inflexibilem pueri, dedit illi pueros & equos, & dimisit eum ire cum sancto Magistro in opus, quod compleuerunt simul vsque ad martyrium eius*, quod cõtigit v. Iunij, anno IↃCCLIV. *Fuerunt ei*, addit S. Ludgerus, *fratres nobiles & eximij de patre generati, & de matre eius nati alij fratres vterini, qui iuuenili audaciâ securi, latronũ crudeli manu in siluâ occisi sunt. Ex maioribus fratribus, qui honorati à Rege mittebantur in longinquiora regna Galliarum*, prognatus videtur *S. Albericus* dein Episcopus Vltraiectinus ab aui nomine

ita

ita appellatus, *in quo totius domus spes magna incubuit, qui* ægrotante S. GREGORIO, *in Italiâ erat regali seruitio occupatus*, & *triduo vel quatriduo ante transitum eius venit inopinatè diu optatus, cunctis nescientibus, excepto Patre spiritali, qui eius aduentum longè ante prædixerat*: cuius *electus filius* dicitur, ab aliis *nepos & consanguineus*, dein Coloniæ Episcopus Vltraiectinus ordinatus: quem tamen Ioannes de Beka aliique scribunt *ex Angliâ oriundum, de partibus diœcesis Eboracensis*.

XV

DAGOBERTI *obitus & apud Rotomagenses sepultura.*

LVstrauimus hactenùs variam, in quâ DAGOBERTVS vixit, conditionem, exortum regium, exilium, extra Galliam, & in eam reditum; regnum in Alsatiâ, & tandem etiam in hæreditate paternâ Austrasiorum. Spectauimus quoque eximiam eius pietatem, & illustria beneficia, quæ variis Ecclesiis & monasteriis præstitit, & vt à S. IRMINA filiâ præstarentur permisit adiuuitque: vt Sigeberto Rege sancto & Imnechilde prudenti ac piâ Reginâ natum, ac Scotorum denique religiosissimis institutis in Hiberniâ ad vitæ sanctimoniam informatum possis agnoscere: fortè etiam in ipsâ parētum domo à viris sanctis, quos ex eadem Scotorum gente aduenas & pater & Maior-Domus Grimoaldus, huiusque sorores Gertrudis & Begga munificentissimè excipiebant, in infantiâ veluti lacte quodam, rerum Diuinarum sensu, enutritum. Posteà quoque (quoniam id regificum censetur) nec bella defuêre. Ciuile illi cum Theoderico

Rege interceſſit: in quo, quantum ex nonnullis veſtigiis colligi poteſt, videtur anno IↃCLXXXVII ab hoſte circumuentus, captus, occiſuſúe. Præcipui eius militiæ Duces fuerunt Vulfoaldus Maior-Domus, Pippinus Herſtallus filius Anſigiſi & S. Beggæ, & Martinus, qui S. Chlodulpho fratre Anſigiſi natus creditur.

Ab hoc Pippino diximus ſuprà incipere eam hiſtoriæ partem Chronico Fredegarij adiunctam, quam auctor ſe iuſſu Childebrandi fatetur ſcripſiſſe. Ita autem incipit cap. 97. *In Auſtriâ mortuo Vulfoaldo Duce, Martinus Dux & Pippinus filius Anſigiſili quondam Franci nobilis, dominabantur.* Mortuus eſt Pippinus ſub DAGOBERTO Rege iuniore anno Chriſti IↃCCXIV, menſe Decembri, cùm *rexiſſet populum Francorum annis* XXVII *& menſibus ſex*, vt tradunt Annales Metenſes. Cœpit ergo anno IↃCLXXXVII menſe Iunio, à quo anno dicti Annales Metenſes incipiunt his verbis: *Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti* IↃCLXXXVII *Pippinus filius Anſegiſili nobiliſſimi quondam Francorum Principis, poſt plurima prælia magnoſq; triumphos à Deo ſibi conceſſos, Orientalium Francorum*, id eſt, Auſtraſiorum, *glorioſo genitori feliciter ſucceedens, ſuſcepit principatum.* Sigebertus Gemblacenſis in Chronico, relatâ ad annum IↃCLXXXV nece S. Leodegarij, ſubdit: *Anſigiſus pater Pippini à Gunduino perimitur, quem ipſe inuentum & nutritum de ſacro fonte ſuſceperat, & ad maximos militiæ honores proiexerat.* Alij Anſegiſi necē multò citiùs contigiſſe arbitrantur. *Gundoinus* ſuprà in diplomate Childerici, anno IↃCLXXII pro Stabulenſibus ſignato, *Dux* appellatur? Eo *interempto cum ſatellitibus, Pippini virtutem atque victoriam longè lateq; vulgatam eſſe*, tradunt iidem Annales Metenſes: vt exinde militiæ ſupremus Præfectus DAGOBERTI fuiſſe videatur, atque anno dein IↃCLXXXVII mortuo Vulfoaldo, Maior-

Domus

Domus illius à Iunio mense constitutus.

Nec diu superfuisse DAGOBERTVM colligimus ex historiâ Chronico Fredegarij annexâ: cui assentiuntur Chronicõ Moissiacense, Gesta Regum Francorum, & Continuator Aimoini. Ibi relato post obitum Vulfoaldi dominatu Martini & Pippini, additur: *Defunctis*, seu *decedentibus Regibus, commissis inuicem Principibus Ebroino, Martino atque Pippino, aduersùm Theodericum Regem excitantur ad bellum.... Deuicti cum sociis Martinus atque Pippinus in fugam lapsi sunt, persecutusq; eos Ebroinus maximam partem de illâ regione vastauit.* En annus, quo Reges omnes Austrasiorum defuncti erant, siue tum simul cum DAGOBERTO captus sit, aut obierit filius eius, à S. Arbogasto olim ad vitam reuocatus, siue eo antè mortuo vltimus decesserit DAGOBERTVS. Quo autem lethi genere interierit, nusquàm exprimitur. Violentâ morte obiisse innuunt duo, tum quòd corpus in hostili potestate manserit, tum quòd à Martino & Pippino, vt dictum est, contra Regem Theodericum, & Ebroinum quasi in vltionem cædis Regiæ bellum sit resumptum. In Vitâ S. Audoëni XXIV Augusti traditur sacrum huius corpus *Clypiaco Rotomagum* delatum esse, & *in basilicâ B. Petri Apostoli, in loco quem sibi præparauerat, cùm ingenti decore sepultum. In istâ ecclesiâ* (addit auctor Vitæ illius) *requiescunt Chlotharij Regis duæ Reginæ, Haldetrudis & Bertetrudis, itemq;* DAGOBERTVS *filius Sigeberti Regis, quem totondit Grimoaldus: atque etiam Childericus Rex frater Theoderici cum vxore Bilichilde & filiâ, quos ipse vir sanctus illic sepelierat.* Fridegodus Poëta antiquus in Vitâ metricâ MS. S. Audoëni de hisce illic sepultis ita cecinit circa an. Chr. IↃCCCCL:

In quâ Reginæ tumulari commeruêre,
Insuper & Reges multi, multiq; Valentes.

Interemptus est in venatione Childericus Rex, & in ditione, vt apparet, Parisiorum, non tamen potuit à morte habere sepulturam apud auum DAGOBERTVM I, patrem Chlodoueum II, & fratrem Chlotharium III, in monasterio S. Dionysij, quamuis de eodē monasterio benè meritus esset, vt testantur monumenta antiqua à Dubletio vulgara. Eminuisse eâ occasione videtur pietas S. Audoëni, vt cùm fortè nonnulli regni Optimates aduersùs cadauera Regis, Reginæ ac horum filiæ feralem in modum sæuirent, eadem sibi impetrârit, & suâ in basilicâ Rotomagensi iusta iis fieri curârit, ac tumulum locari. Ast haud æquè euidens est, quâ occasione DAGOBERTVS Rex Austrasiorum, procul à suo regno & paterno apud Metenses sepulchro, in Neustriâ & regno Theoderici, qui eum bello persequebatur, fuerit tumulandus. Quamquàm (quæ erat *immanissima Ebroini tyrannis*, vt loquitur Vrsinus in Vitâ S. Leodegarij) ab eo DAGOBERTVS dolo astuque circumuentus, aut ad pacificum colloquium euocatus, contra fidem datam, & fortè periurio subdolè sancitam, existimari potest, abductus, & interemptus. Iussit idem Ebroinus interfici S. Ragnebertū Martyrem, cuius necis Acta refert Chesnæus tomo I historiæ Francorum pag. 625: in quibus dicitur *intercedente Dei famulo Audoëno Pontifice, Rodomæ vrbis Præsule, cuius fama sacerdotij illo tempore orbem repleuerat Galliæ, non fuisse continuò interfectus.* Si hoc non potuerit impetrare idem S. Audoënus, vt non continuò interficeretur DAGOBERTVS, potuisse ab obitu eius videtur obtinere cadauer, vt apud Childericum patruelem, quem etiam *ob insolentiam* clamitabant *meritò interfectum*, aliquem sepulturæ honorem assequeretur.

XVI *Chro-*

XVI

Chronologia regni Theoderici cum annis DAGOBERTI *collata. Obitus S. Leogarij Martyris, & Ebroini Maioris-Domus.*

DIonysius Petauius par. 2 Rationarij temporum lib. 4 cap. 17 censet *Chlotharij* III *& Childerici Regum tempora ex Theoderici exordio firmanda.* Et nobis, quamuis illorum temporum tam solida opinemur iacta esse fundamenta, vt exordium regni Theoderici iis superstrui possit; alia tamen non desunt argumenta, quibus cœptam Chronologiam firmemus, assertumque iam DAGOBERTI apud Austrasios regnum muniamus. Ac primo Acta S. Wilfridi, sicut reditum nobis DAGOBERTI ex Hibernia ad Austrasios ostenderunt, ita anno IↃCLXXIX (quo suprà diximus Childericum initio ætatis interemptum) clarè euincunt Theodericum regnum recuperasse, eiusque palatio præfuisse Maiorem-Domus Ebroinum.

Expulsus ab Episcopatu Eboracensi est, teste Bedâ lib. 4 cap. 12 *anno* IↃCLXXVIII *S. VVilfridus*: post cuius abscessum Ethelredus Rex Merciorum bellum intulit Egfrido Northumbrorum Regi, à quo Wilfridus fuerat à Sede Episcopali eiectus. Conserto igitur graui prælio iuxta fluuium Trentam, occisus fuit Alfwinus frater Regis Egfridi. *Contigitq́*, inquit Malmesburiensis, *vt anno reuoluto, eodem die, quo ille (*Wilfridus) *præiudicium in Eboraco passus fuerat, cadauer regij adolescentis illatum vrbi longum indiceret iustitium. Ita Ethelredus triumpho functus, integritate regni receptâ, VVinfridum Epi-*

scopum,

piſcopum, qui Ceddæ apud Liccfeld ſucceſſerat, quòd Egfridi partium fuerat, expulit. Is Gallico littori fortè appulſus, in Theodericum Regem & Ebroinum Ducem Francorum incidit: quibus à Britanniâ mandatum erat, vt VVilfridum Epiſcopum caperent & ſpoliarent. Quem illi errore nominis acti, ſociis occiſis & rebus ablatis, abire ſiuerunt. At VVilfridus, ne in manus Theoderici Regis & Ebroini incideret, *in Friſiam*, vt ſuprà diximus, *nauigauit, hyememq; ibi exegit.* Inde vere ſequente anni IↃCLXXX Romam proficiſcens, DAGOBERTVM Regem in Alſatiâ inuiſit. Vbi Romam venit, *ab Agathone Papâ* (verba ſunt Bedæ lib. 5 cap. 20) *Epiſcopatu eſſe dignus inuentus eſt, & ad Synodum centum viginti quinque Epiſcoporum, aduersùs eos, qui vnam in Domino Saluatore voluntatem atque operationem dogmatizabant, vocatus inter Epiſcopos conſedit*, & cum iis ſubſcripſit epiſtolæ ex hac Synodo ad Conſtantinum Imperatorem, Heraclium & Tiberium Auguſtos miſsæ, quæ refertur actione quartâ ſexti Concilij Oecumenici, Conſtantinopoli eodem anno IↃCLXXX menſe Nouembri inchoati. Sed ad Theodericum, quem conſtat anno IↃCLXXIX Regem fuiſse, redeamus.

Regno igitur ad eum poſt Childerici cædem delato, Auſtraſij Chlodoueum Chlotharij III creditum filium, vt diximus ex Vitâ S. Leodegarij, in Regem aſsumpſerunt, *aſſerentes cum ſacramento Theodericum mortuum eſſe.* Tunc S. Leodegarius, quòd huic Chlodoueo, vt præſcripſerat Ebroinus, nollet promittere fidem, captus atque euulſis oculis abductus eſt, & inediâ aliquamdiu in ſiluis cruciatus; ac poſteà in ædibus Waymeri, Ducis cuiuſdam Campaniæ, qui ad hoc malum perpetrandum cùm Didone altero Ebroini Conſiliario *è finibus Auſtri*, ſiue Auſtraſiæ, miſsus fuerat, detentus. Interim Ebroinus, reiecto Chlodoueo illo ſuppoſitio, in gratiam Theoderici Regis reſtitutus, dignitatem

Maioris-

Maioris-Domus adhuc anno IↃCLXXIX, vt ex Malmesburiensi constat, recepit. At DAGOBERTO ad regnum Austrasiæ anno sequente IↃCLXXX euecto, Waymerus (cum S. Leodegario) in Neustriam ad Ebroinum fugit, ac *per huius fraudem in Episcopum promotus, in eius indignationem* dein *incurrit: multis flagellis cæsus, turpissimeq;, vt decebat proditorem, condemnatus, laqueo suspensus est... S. Leodegarium in quoddam perduxerunt cœnobium: in quo per annos circiter duos latuisse* tradit Vrsinus, ad annum scilicet IↃCLXXXII, quando iussu Ebroini oblatus Regi, opprobriis contumeliisque affectus, linguâ etiam exectâ, traditus est *S. VVaningo*, in cuius *monasterio Fiscano per biennium ferè in Dei laudibus resedit* ad annum vsque IↃCLXXXIV. Quo tempore ei ad Concilium ab Episcopis in Villâ regiâ habitum euocato, ingredi non licuit, sed seorsim à Rege in speciem examinatus, eius atque Ebroini sententiâ capite plexus est die II Octobris, vti gemina vitæ eius historia exactè tradit; altera Episcopo Augustodunensi Ermenario eius successori dicata, altera auctore Vrsino inscripta Ansoaldo Pictauorum Episcopo, in Didonis eius patrui locum substituto. En quinquennium primum regni Theoderici. Sirmondus tomo I Conciliorum Galliæ partem dicti Concilij in Villâ regiâ habiti edidit, prænotato sequenti anno Christi IↃCLXXXV, vt mirum sit ab eodem addi annum tum fuisse Theoderici Regis XVIII. Eadem Petauij sententia est par. I Rationarij temporum lib. 8 cap. 2, additque, *errare eos, qui S. Leodegarij necem in annum conferunt* IↃCLXXII. Videtur potissimùm confutari Bucherius, qui cum Sirmondo, ipsoque Petauio, Theodericum scripserat Childerico successisse anno IↃCLXVII, & consequenter S. Leodegarium, vti Acta eius exigunt, post quinquennium elapsum anno IↃCLXXII interfectum esse. Miræus in Chro-

nico Belgico dubius hæret, & bis necem Leodegarij annotat, anno scilicet IↃCLXXII cum Bucherio, & anno IↃCLXXXV cum aliis, additâ excusatione ob magnam inter chronographos controuersiam: quæ principiis benè examinatis nulla apparet.

Anno dein IↃCLXXXVII mortuis & Vulfoaldo Maiore-Domus apud Austrasios, & horum Rege DAGOBERTO, Duces Pippinus Herstallus & Martinus à Theoderico Rege & Ebroino, vti diximus, prælio victi sunt. Tunc Martinus Dux Lugduno Clauato, quò fugerat, ad Ebroinum euocatus, contra datam fidem cùm sociis omnibus interfectus est. Ebroinus eâ victoriâ insolenter elatus, dum Francos crudeliùs opprimit, à quodam Hermenfrido confossus est, eodem anno IↃCLXXXVII ad finem vergente, aut certè initio sequentis, *transacto* post necem S. Leodegarij *trium annorum spatio*, vti in vtrisque Actis legitur. Postquàm Ebroinus viuendi finem fecit, Episcopi in Palatio congregati, de corpore S. Leodegarij multis miraculis claro disceptarunt, Ermenarius Augustodunensis, Ansoaldus Pictauiensis, & S. Vindicianus Cameracensis & Atrebatensis. Lite per sortem inter Missarum solennia diremptâ, auectum est sacrum corpus è diœcesi Atrebatensi Pictauium, & in vicino monasterio S. Maxentij *medio Martio mense* depositum. Cuius Translationis solennitas ad XVI Martij in nonnullis Martyrologiis annotatur, contigitque anno IↃCLXXXVIII.

In locum Ebroini successit Warado, seu Waratto, Maior-Domus, ac mox datis obsidibus inter hunc & Pippinum pax firmata. Sed Waradone à filio Gislemaro supplantato resuscitatæ discordiæ sunt, bellumque ciuile recruduit, *quamplurimis nobilibus viris Pippini Ducis fraudulenter ad castrum Manucum*, quod Namurcum interpretantur, *occisis*. Quæ eodem

dem anno IↃCLXXXVIII facta arbitramur. Non diu pòst Gislemarus, sæpius à S. Audoëno Episcopo Rotomagensi frustrà monitus, morte peruicaciam luit, & Warado pater priorem dignitatem recepit. Tunc, vt concordiæ auctor fieret, Coloniam profectus est S. Audoënus, ac pace stabilitâ, ad Regem Theodericum ac Waradonem regressus, in villâ regiâ Clypiaco prope Parisios ex hac vitâ ad præmium meritorum migrauit die XXIV Augusti anno IↃCLXXXIX. Quem obitus illius annum infrà lib. 4 firmabimus: reliqua constant ex eius Vitâ, & Historiâ iussu Childebrandi scriptâ apud Fredegarium cap. 97, 98 & 99. Quæ omnia simul collata chronologicam nostram computationem roborant, vtque anni Theoderici ac DAGOBERTI, quos statuimus, præclarè quadrent, efficiunt.

Prætereà *S. Vindicianus Episcopus Cameracensis*, apud Baldericum lib. 1 Chronici Cameracensis cap. 25, *super res Atrebatensis Ecclesiæ à Ioanne Papâ confirmari priuilegium curauit, datum* VIII *Idus Maij anno* VII *regni Theoderici.* Est is Ioannes V die XXII Iulij anni IↃCLXXXV electus, anno sequenti II Augusti vitâ functus: quo illud priuilegium necessariò datum est, & nostrum calculum egregiè confirmat. Sirmondus in Notis ad Synodum Rotomagensem & Petauius par. 1 lib. 8 cap 2, & par. 2 lib. 4 c. 17, ob *Indictionē* II huic priuilegio additam, asserunt annum Christi indicari IↃCLXXIV. Verùm tum præerat Ecclesiæ Adeodatus Papa, inter quem & Ioannem eam rexerũt Domnus I, Agatho, Leo II & Benedictus II, cui Ioannes V successit. Imò S. Autbertus Episcopus Cameracensis tum etiam viuebat, anno IↃCLXXV die XIII Decembris mortuus, cui anno sequenti, vt suprà ostensum, successit *S. Vindicianus.* Indictio ergo aut XIV reponenda, aut tamquàm à posteris intrusa expungenda, cum subscriptio-

ne Leodegarij iam antè interempti. An etiam tum Auſtregiſilus Bituricenſis vltra ſexaginta annos mortuus reuixerit, aliuſúe eius nominis ſubſcripſerit, ipſe Baldericus viderit. Simili modo corruit alterum argumentum Sirmondi ad dictam Synodum Rotomagenſem relatum: quia nimirùm Priuilegium immunitatis à S. Vindiciano Epiſcopo datum monaſterio Vedaſtino dicitur *Kalendis Maij anno* VII *Theoderici Regis, Indictione* quoque II, quaſi inde inferretur annus Chriſti IↃCLXXIV. Sed S. Vindicianus, à quo potiſſimùm illud monaſterium extructum eſt, necdum eo anno Epiſcopus erat. Ipſi prætereà priuilegio, quod inter Diplomata Belgica edidit Miræus cap. 5, ineptè quædam adiecta: ſubſcribunt enim SS. Auſtregiſilus, Eligius, Audomarus, & Faro Epiſcopi, ac Wandregiſilus Abbas, omnes ante Theoderici regnum vitâ functi. De Synodo Rotomagenſi agemus lib. 4.

XVII

Regnum Auſtraſianum DAGOBERTI II *probatum ex diplomate Theoderici Regis Stabulao & Malmundario dato. Horum ſub vtroque Rege Abbas S. Goduinus. Obitus Theoderici Regis.*

PRoſequimur reliqua Theoderici Regis geſta, è quibus & regnum DAGOBERTO aſſerimus, & hactenùs poſitam chronotaxin firmamus. Mortuo XXIV Auguſti ann. IↃCLXXXIX S. Audoëno, erat Maior-Domus antè memoratus Warado,

Warado, qui non diu posteà desiit viuere, relictâ Anflede viduâ. *Huius gener*, (inquit auctor historiæ iussu Childebrādi scriptę apud Fredegarium cap 99) *nomine Bertharius, honorem Maioris-Domus suscepit*, anno IↃCXC. Contra quē *Franci*, quòd eorum *amicitiam & consilia sæpè contemneret*, *Pippinum concitant*. Hic *contra Theodericum Regem & Bertharium* pugnat anno IↃCXCI *Textricij in Veromanduis*, vincitque. Bertharius à suis occiditur. *Pippinus Theodericum Regem accipiens cum thesauris, & domum palatij, omnia peragebat, vt* idē auctor cap. 100 tradit. Dein *Rex idem victus sub Pippino tribus annis regnasse* traditur in Annalibus Metensibus, quando *Pippinus*, vt in eisdem Annalibus dicitur, *ne tyrannidem videretur exercere, nomen Regis Theoderico inæstimabili pietate reseruauit. Ipse verò totius regni gubernacula, thesauroſq; regios, & vniuersi exercitus dominationem, propriæ facultatis iure disponenda suscepit*. Excipiunt Annales Fuldenses ad an. 751 *chartas & priuilegia, quæ Regis nomine scribebantur*. Tunc S. Goduinus Abbas monasteriorum Stabulai & Malmundarij, visâ hac regnorum immutatione, curauit nomine Regis Theoderici bona monasterij iterato diplomate stabiliri, quod hîc damus, ex MS. codice Bambergensi, sub hoc titulo:

Exemplar Præcepti Theuderici Regis Abbati Godoino dati de confirmatione omnium rerum monasteriorum.

Theudericus Rex Francorum, vir illuster. Si petitiones Sacerdotum aut Ecclesiarum prolatas, in quo nostris auribus rectè poposcerint, perducimus ad effectum, regiam consuetudinem exercemus, & in æternum Dominum retributorem ex hoc habere confidimus. Ideò notum sit fidelibus nostris, quia

venerabilis vir Godoinus Abba de monasterio Stabulau & Malmundario, quæ sunt in honore S. Mariæ & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli vel ceterorum Sanctorum à bonæ memoriæ auunculo nostro Sigeberto quondam Rege, ob amorem Christi, de foreste fiscibus nostris super fluuium Amblauam constructa, Clementiam nostram exposcit, eò quòd ipse Princeps pro mercedis suæ compendio & retributione æternâ, villas aliquas de fiscis, tam vltra Ligera res proprias, quas Domnus Remaglus legitimè possedit, quàm exteras per Præcepta suâ manu roborata sub integrâ emunitate absque introitu Iudicum concessit. Vnde & ipsa Præcepta, seu & confirmationes, decedentium Regum, memoratus Abba se præ manibus habere adfirmat: sed petiit Celsitudinem nostram, vt tam id, quod ipse Princeps Domnus Sigebertus de fisco suo, seu de reliquis locis ad ipsa monasteria à Christianis hominibus inibi videtur fuisse conlatum, & præsentis temporis eorum manet possessio vel dominatio, vt hoc in idipsum pro nostris oraculis confirmare deberemus. Cuius petitioni pro reuerentiâ ipsorum monasteriorum, seu & considerantes sacerdotium ipsius viri Godoini, vel fidei bonæ respectum, quo erga regimen nostrum fideliter videtur famulari, non solùm confirmasse, sed etiam pro mercede nostrâ à nouo reconcessisse nostra comperiat Magnitudo. Præcipientes enim, vt, sicut constat à suprascripto Principe Domno Sigeberto, vel germano

nostro

nostro Childerico quondam Rege, seu ceteris Christianis hominibus ad ipsa monasteria tam villabus, domibus, mancipiis, acolabus, vineis, siluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, cùm reliquis beneficiis mobilibus & immobilibus rectè fuisse conlatum vel condonatum. Et ex hoc præsenti tempore quieto ordine pars ipsorum monasteriorum cernitur dominari. Ita deinceps pro nostrâ auctoritate pleniùs in Dei nomine confirmamus tam suprascripta loca, quàm circa supradictum Godoinum Abbatem & successores suos, vel monachos ibidē consistētes, tam nostris quàm futuris temporibus inspectas ipsas auctoritates, antelectos Principes, vel reliqua instrumenta, quod ibidem fuit firmatum, vel condonatum, seu & in anteà iustè & rationabiliter fuerit conlatum, sub emunitatis nomen absque introitu Iudicum ibidem maneat inconuulsum. Quo fiat vt & nobis ad mercedem pertineat, & ipsos seruos meliùs delectet, pro regni nostri constantiâ attentiùs Domini misecordiam deprecari. Et vt hæc præceptio firmior habeatur, & per tempora conseruetur, manus nostræ subscriptionibus subter eam decreuimus roborari. In Christi nomine Theodericus Rex subscripsit.

Hactenùs diploma Theoderici, cui aderat sigillum ex litteris eiusdem nominis formatum. Hoc quoque diploma certum atque indubitatum est. Childericum, cui occiso erat subrogatus, suum (vti reuerà erat) *germanum* agnoscit: & tam ipse *Theodericus*, quàm *Childericus* frater in diplomate suprà allegato, *S. Sigebertum*, horum monasteriorum fundatorem,

torem, ſuum *auunculum* appellant ac reuerentur. Interim in exemplaribus monaſterij Stabulenſis, expuncto titulo ſuprà indicato, hic ſubſtitutus eſt: *Exemplar Præcepti Regis Theoderici, filij* DAGOBERTI *Iunioris, dati Domno Goduino Abbati.* Nempe, quia oblitteratâ memoriâ DAGOBERTI II, diploma à nobis illi vindicatum ad DAGOBERTVM *Iuniorem* retulerant, illi neceſſariò ſubiungendas cenſuerunt Theoderici tabulas iam recitatas, quaſi ſub vtroque Rege vixiſſet S. Goduinus Abbas. Verùm obſtant tum ipſa diplomata, tum vtriuſque & DAGOBERTI & Theoderici regni tempora à nobis ordinata, tum denique peruetuſta exemplaria, quæ iuſſu S. Henrici Imperatoris Stabulai deſcripta, Bambergam vnà cum parte aliquâ Reliquiarum S. Remacli delata, iſtic hactenùs integra atque incorrupta viſuntur.

Huius Goduini imago, vt alicuius ex proximis ſucceſſoribus S. Remacli, viſitur apud Stabulenſes ad thecam ligneam, quæ circumdat feretrum ipſius S. Remacli, cum hac ſcripturâ: *S. Goduinus.* Qui Sancti titulus eidem paſſim & vbique tribuitur per templa & clauſtra Stabulenſe & Malmundarienſe, viſiturque in peruetuſtis tapetibus, omnibuſque antiquioribus & recentioribus Abbatum indiculis. In Floribus Eccleſiæ Leodienſis à Bartholomæo Fiſeno editis par. 2 Paralipomenon pag. 605 referuntur *SS. Sigolinus, Goduinus, Anglinus, Albricus, & Odilo Abbates Stabulenſes*: eorumque aliqua elogia adduntur à Franciſco Laurentij Priore Malmundarienſi ex monumentis Stabulenſibus collecta; in quibus dicitur, *poſt S. Sigolinum anno* IↃCLXXXVII *mortuum, S. Goduinus rexiſſe Eccleſiam Stabulenſem* annis nouem, *ſub annum* IↃCXCVI vitâ functus, cùm biennio ante Theodericus frater Childerici eſſet mortuus. Verùm S. Goduinum priùs aliquantò factum eſſe Abbatem perſuadet

det diploma DAGOBERTI suprà, anno regni IV, Christi IↃCLXXXIV datum, eidemque etiam ante annum IↃCXCVI successisse Papolenum Episcopum ex sequentibus constabit. Sed ad Theodericum redeamus.

Annales Metenses à Pippino Duce exordiuntur: sed, vt quisque eos perlegens intelliget, anno vno priùs, quæ Theodericus gessit, narrant. In his Annalibus dicitur *Theodericus*, postquàm *à Pippino victus est*, quod anno IↃCXCI contigisse diximus, *sub eodem regnasse annis tribus & mortuus esse*. Anno is IↃCXCIV decessit, qui cœpto errore notatur in illis Annalibus præcedens IↃCXCIII. Illum errorem descripsit Sigebertus Gemblacensis, sed æui sequioris scriptor, qui passim in annis Regum Francorum stirpis Merouingicæ titubat: quem Hadrianus Valesius in suis rerum Francicarum historiis ordinandis negat audiri oportere. Historia Francorum iussu Childebrandi scripta cap. CI tradit *Theodericum regnasse annos* XIV, omissis mensibus, quos aut anno IↃCLXXIX aut IↃCXCIV regnauit, maximè quia ob initium regni multis purturbationibus agitatum, seriùs *præsentibus nobilibus regnorum* Neustriæ, Burgundiæ, &, reiecto Chlodoueo, Austrasiæ, *solenniter*, (vti, quod ex Vitâ S. Leodegarij colligitur, mos erat) *in Regem esse sublimatus* videtur. Hinc Aigradus, auctor coæuus, scribit in Vitâ MS. S. Condedi Abbatis XXI Octobr. *possessiunculas* huic *à nobili Schivvardo collatas* VI *Idus Octobris*, *sub anno tertio præfati Regis Theoderici, qui erat Lantberti Abbatis Fontanellensis annus tertius*. ergo & annus Christi IↃCLXXXII, vt lib. 4 constabit, vbi de primis Abbatibus Fontanellensibus agemus.

Statutum annum IↃCXCIV obitus Theoderici Regis confirmat Chronicon Vedastinum apud Franciscum le Bar, vbi obitus refertur *in annum quintum regiminis Hattæ* I *Abbatis*,

quem electum tradit *anno* IↃCXC; *anno* sequenti IↃCXCI, *Theoderici* XII *à S. Vindiciano solenniter benedictum.* Demum annum mortis eius IↃCXCIV signat antiquum epitaphium, epistylio, seu limbo superiori mausolei eius in monasterio Vedastino inscriptum, his versibus:

Rex Theodericus, ditans vt verus amicus
Nos ope multimodâ, iacet hîc cum coniuge Dodâ:
Regis larga manus, & Præsul Vindicianus,
Nobis Regale dant & ius Pontificale,
In decies nono cum quinquagies duodeno
Anno defunctum sciet hunc, qui quatuor addet.
Quâ legis hac horâ, Dominum pro Regibus ora,
Muneribus quorum stat vita Dei famulorum.

Albericus, qui passim malo calculo seriem temporum, quibus priores Reges Francorum vixerunt, digerit, hîc & annum & sepulturam Theoderici rectè obseruat; sed ineptè eclipsin, quæ anno præcedente contigerat, adiungit. Annũ obitus Regis Theoderici statuit Baronius regni eius XIX, Christi DCLXXXVIII: Bucherius, Fisen, Miræus cum Petauio, Sirmondo aliisque, regni XXIV, Christi IↃCXC; quorum rationes, vt vidimus, haud admodùm validæ sunt. Fundamentum primarium, ob quod obitum Theoderici referunt in annum IↃCXC, in annis Childeberti filij supputandis ex ipso Petauio euertitur par. 1 lib. 8 cap. 4: vbi *Pippinum* tradit, *Theoderico superato, vtriusq; regni tenuisse magisterium anno* IↃCXCI.

XVIII *Re-*

XVIII

Regnum Chlodouei III. *Diploma datum S. Papoleno Episcopo, Abbati Stabulensi & Malmundariensi.*

QVemadmodùm à morte Chlodouei II tres eius filij adhuc paruuli superfuerunt, Chlotharius III, Childericus & Theodericus, omnes dein regnum Francorum assecuti; ita Theoderico anno IↃCXCIV vitâ functo, filioli parui relicti sunt, Chlodoueus III & Childebertus. Auctor coæuus historiæ iussu Childebrandi scriptæ apud Fredegarium ca. 101, de regno Chlodouei hæc tradit: *Mortuus est Theodericus Rex, regnauit autem annos* XIV. *Chlodoueum filium eius paruulum elegerunt in regnum. Non post multos verò annos prædictus Rex Chlodoueus ægrotans mortuus est. Regnauit autem annos* IV. Hos cuncti passim Chronologi admittunt: & quidem ex iudicio Baronij ab anno IↃCLXXXVIII ad IↃCXCII; Sirmondi, Petauij, Bucherij, Miræi, & aliorum ab anno IↃCXC ad IↃCXCIV. à quo primùm anno regnasse vsque ad IↃCXCVIII Clodoueũ II ex ipsius annis Theoderici fratrumque conuincimus, & infrà in annis regni Childeberti confirmabimus. Malebrancus contendit eum biennio ante patrem Theodericum obiisse, & simul cum eo annos IV regnasse. Historiæ iussu Childebrandi scriptæ assentiuntur Annales Metenses his verbis: *Theoderico mortuo, filius eius paruulus, nomine Chlodoueus, à Pippino ordinatur in Regem. Qui dum quartum annum in regno complesset, innocentem vitam finiuit.* Tempora huius pueruli Regis sub regimine Pippini videntur fuisse prorsus quieta,

ac vix vllis rebus gestis illustria. Nicolaus Camuzatus in Promptuario Tricassino post Vitam S. Bercharij Abbatis Deruensis pag. 82 mentionẽ facit cuiusdam diplomatis ab Episcopo Catalaunensi dati *Remis* XV *Februarij anno* II *Chlodouei Regis*, cuius præcipuæ clausulæ in cõpendium redactę & cõtractę ex indice titulorũ chartarij referũtur his verbis: *Priuilegium datum à Bertoëndo Episcopo Cathalaunensi ad rogatum claræ memoriæ Chlodouei Regis & Pippini Maioris-Domus regiæ, in quo idem Episcopus dat nobis electionem Abbatis & Abbatissæ, tam in nostro quàm in puellari monasterio.* Annus II Chlodouei in Februario conuenit in annum Chr. IↃCXCVI. Idem Chlodoueus diplomate etiam anno II regni signato, Papoleno monasteriorum Stabulai & Malmundarij Abbati quãdam bonorum commutationem confirmat, & vnà comprobat, stabilitque tempora S. Goduini Abbatis, eique à Regibus Dagoberto & Theoderico suprà memorata priuilegia fuisse indulta. Ipsum diploma extat sub hoc titulo in codice Bambergensi:

Exemplar Præcepti Chlodouei Regis, dati Papolino Abbati de quadam commutatione.

Chlodoueus Rex Francorum illustri Aerico Duci & Charieuio Comiti. Quoties inter anteriorum Regum Celsitudinem & congregationem sanctam monachorum per instrumenta chartarum, de qualibet re facta fuerit commutatio, oportet scripturarum seriem inter partes per nostram præceptionem conuenire. Ideò vir Apostolicus Domnus & Pater noster Papolenus Episcopus Clementiam regni nostri suggessit, eò quòd Domnus noster & auunculus Childericus quondam

Rex,

Rex, vnà cum anteceſſore ſuo Domno Remaglo Epiſcopo quondam vel ſuis monachis, vbi ipſe ad monaſteria Malmunderio & Stabulao Cuſtos eſſe videtur, locella aliqua commutaſſent. Vnde accepit pars Domni & Auunculi noſtri Childerici quondam Regis locellum, cui nomen Athetaſis, cum hominibus ibidem commanentibus, & omne peculiare eorum vel terras eorum, quas excolere videntur, his nominibus, Radefrido cum nepotibus ſuis, Berthramno, Giſloberto, Aganulfo, item Radefrido, Sigofrido, Rigoberto. Pro ipsâ re in commutatione ipſe Pontifex accepit de fiſco noſtro locellum, qui dicitur Maipa cum hominibus ibidem commanentibus his nominibus, Adolino, Altone & VVinſgario, cum terris, quas excolere videntur, & omne peculiare eorum, vt hæc pars ipſi Pontifici & ſuis monachis in perpetuo tempore debeant permanere. Vnde & commutationem ipſius Principis etiam ſuis manibus roboratam nobis in præſenti oſtendit relegendam. Quod pro firmitate ſtuduimus petitiones eorum pleniùs circa ipſa monaſteria vel congregationem ſanctam confirmari præceptum. Cui nos hoc beneficium præſtitiſſe vel confirmaſſe & in omnibus conceſſiſſe cognoſcite. Præcipientes enim, vt, quidquid conſtat per inſpectam ipſam commutationem ipſius Principis iuſtè & rationabiliter inter ipſum, & glorioſum Domnum Remaglum iam dictum Pontificem fuit commutatum aut concambiatum, tam terris, curtibus, caſis,

campis, pratis, siluis, aquis, aquarumúe decursibus, mancipiis, ædificiis vel reliquis rebus atque corporibus; Domnus & Pater noster Papolenus Episcopus ad partem iam dicta monasteria Malmundario & Stabulaco per nostrum Præceptum pleniùs confirmato perennis temporibus habeat confirmatum atque indultum. Et vt hæc Præceptio nostris & futuris temporibus firmiorem obtineat vigorem, manus nostri signaculo subter eam decreuimus adfirmare. Signum Chlodouei glorioſi Regis.

Data quando facit mensis Iunius dies XXV, *anno* II *regni nostri. Namucho recognoui.*

Erat sigillum ex litteris regij nominis more illius æui effictum. Annus signati huius diplomatis est IↃCXCV aut sequens, quando S. Goduino, vt diximus, mortuo, succeſſit S. Papolenus, Episcopus Apostolicus ad prædicandum Euangelium, fundandasque Ecclesias creatus, qui Româ acceptum corpus S. Symmetrij Martyris, cum aliquibus Reliquiis S. Andreæ Apostoli, in Belgium detulit, & Landernaci in templo parochiali, ac primariâ Stabulensis monasterij hæreditate deposuit, vbi sacro cultu quotannis honoratur XXVI Maij. Est celebris quoque veneratio S. Baboleni apud Stabulenses & Malmundarienses die XXVI Iunij, cuius sacrum caput in sacrario Stabulensi adseruatur. Hunc esse Papolenum in relato Chlodouei diplomate expressum indicauit nobis antè memoratus Dominus Benedictus delle Riue Sacerdos monasterij Stabulensis, eiusque archiui præfectus. Verùm hunc Papolenum arbitramur diuersum à S. Baboleno olim S. Columbani Abbatis discipulo, eiusque in mona-

monasterio Bobiensi successore, cui dein Fossatense ad Matronam fluuium in agro Parisino monasterium commissum est ab eius fundatore Blidegisillo anno III Chlodouei II, Christi IↃCXLVI. Ob cuius Baboleni præclaram virtutem Audobertus Parisiorum Episcopus monasterio eius Fossatensi dedit *priuilegium immunitatis & exemptionis ab omni subiectione Episcoporum & Clericorum, anno Chlodouei* V, Christi IↃCXLVIII. Ea priuilegia, qui tum præerat vniuersæ Ecclesiæ, approbauit S. Martinus Pontifex Romanus. Huius S. Baboleni corpus etiamnum cùm sacrâ veneratione adseruatur in Fossatensi monasterio, quod ob S. Mauri reliquias eò translatas vulgò *monasterium S. Mauri* appellari diximus XV Ianuarij ad S. Mauri Vitam.

LIBER

LIBER III.

DAGOBERTVS III

REX FRANCORVM.

TErtius Regalem in scenam prodit DAGOBERTVS, haud admodùm re aliâ, quàm genere regio, conspicuus, quippe Rege Childeberto natus, Theodorici filio, Chlodouei II ac S. Bathildis nepote: ceterùm vanâ per omnem ferè vitam vmbrâ regni ornatus, nisi quòd ei scriptorum quorundam recentiorum, non quidem assentatio (quis enim eius sit fructus?) sed imperitia, decora quædam, quæ Austrasiani DAGOBERTI erant, eiusque benefactorum gloriam attribuit. Nam alioquin

——*Nihil iste nec ausus,*

Nec potuit.

Omnis penes Pippinum erat potestas, in Austrasiâ præsertim, quam post DAGOBERTI II decessum ac Vulfoaldi Maioris-Domus (sub quibus etiam exercitibus præfuerat) totam ad se traxit, ac velut propriũ regnum administrauit. Titulum tamen & huic adoleſcen-

leſcentulo Regi, & patri eius Childeberto, ac Chlodoueo patruo reliquit, atque auo etiam, quem cùm acie viciſſet, beneficio cumulaſſe, liberoſque eius viſus eſt, quòd appellatione honoreque frui regio paſſus,& quæ ipſe promulganda cenſuiſſet edicta, ſignare. Ita ad ſummum honorem (ad quem plerique omni conatu contendunt,qui Reges vel gratiâ circumuentos, vel opibus armiſque & clientum ſuorum turbis obſeſſos,habent in poteſtate) ad illud,inquam,culmen honoris prudẽtiùs aſpirauit Pippinus,quàm eius auunculus Grimoaldus, de quo in DAGOBERTO II dictum. Firmare ſibi ac ſuis ſpem regni maluit,quàm prępoperè titulum inuadere. Ita & Auſtraſiorum ſuorum ſe beneuolentiâ communiuit, & minùs alienauit Neuſtraſios. Aſt hi tamen eo extincto,ſub ipſo adhuc DAGOBERTO, mouêre lacertos, aduersùs Auſtraſios Ducemque eorum Theodaldum Pippini nepotem, dein & Carolum Martellum. Iidem,mortuo DAGOBERTO, alium ad gubernacula regni euocauêre abſque Auſtraſiis,Chilpericum Childerici filium.

DAGOBERTO autem huic titulum martyrij ac ſacros honores, quos haberi illi quidam viri eruditi autumant,non inuidemus,nec detrahimus: nec tamen eò induci poſſumus, tantum vt illi dignationis impertiamur. Credibilius putamus S. DAGOBERTVM Sa-

thanaci oppidi Tutelarem ab eo esse diuersum : argumenta, quæ in vtramque partem afferuntur, proponemus.

I

Pater DAGOBERTI III *Childebertus Rex. Huius regnum annis* XIII *terminatum. Subrogatur* DAGOBERTVS *adhuc puer.*

MOrtuo *Chlodoueo* III, filio Theoderici, adhuc *paruulo*, ac *vitâ* eius *innocente finitâ*, *Pippinus Regem pro eo fratrem eius Childebertum constituit. Illis quidem nomina Regum imponens, ipse totius regni habens priuilegium, cùm summâ gloriâ & honore tractabat.* Ita auctor Annalium Metensium. Fauebat imperio Pippini puerilis ætas & Chlodouei III, & posteà Childeberti, quem eo iuniorem fuisse, etiam tradit monachus Egolismensis in Vitâ Caroli Magni. Idem autem annus IↃCXCVIII & Chlodoueo vltimus fuit & Childeberto primus: vti anni Regum decessorum hactenùs indicati probant, ac mox annus obitus Childeberti firmabit stabilietque.

Petauius par. 2 Rationarij temporum lib. 4 cap. 17, Bucherius, aliique, opponunt scriptum quoddam in fine Chronici veteris Eusebiani, quod penes Bongarsium fuit, repertum, in cuius paginâ primâ libri aduersâ post generalem titulum ita legebatur: *In annum* V *Childeberti Regis Francorum, Pippino iubente, ab Adam sunt anni* V *millia* IↃCCCC. *Fuit Pascha* X *K. Aprilis. Ascensio Domini K. Madias per cyclum numerum*

merum annorum CXL. *Repetitio à capite cycli.* Hæc ibi, aliâ manu extra ordinem grandibus & vncialibus litteris scripta exhibent Pontacus in Apparatu ad Chronicon Eusebij paginâ 27, & Ioseph Scaliger in Animaduersionibus in Chronologica Eusebij, vltimâ ante Indicem paginâ, additque *quemadmodùm est alia manus ab eâ, quæ totum Chronicon scripsit, ita magnum esse interuallum inter scriptionem Chronici & huius Paschatis notationem.* Circa quæ fatemur annum ibi notari IↃCXCIX, periodi Victorianæ CXL, mundi creati secundum Eusebium post quinque millia IↃCCCC, quo, cyclo solis VIII, litterâ Dominicali E, cyclo etiam Lunæ XVI, Pascha celebratum est XXIII Martij. His non obstantibus arbitramur aliquot post hunc annum seculis illud ab imperito Chronographo aut compositum fuisse, aut certè vitiosè descriptũ, à quo annus I Childeberti alibi lectus, in annum V commutatur: quod facillimè potuit contingere, cùm ea, quæ in rectam viam reducant aberrantem, neque antecedunt neque sequuntur. Ceterùm annum primum Childeberti reponendum esse suadet ratio illa ab Adamo numerandi, illis temporibus sub obitum vnius & initium regni alterius vsitata. Ita à morte Sigeberti I Regis Austrasiorum annus primus regni Childeberti filij, itidem Regis Austrasiorum, appositis ab Adamo annis, indicatur à Gregorio Turonensi lib. 4 cap. 46, & Fredegario in Historiâ epitomatâ cap. 74. Quidni illo exemplo proposito, huius Childeberti initium, subductis etiam ab Adamo annis, fuerit illustratum? Imò hæc verba, *Pippino iubente*, scilicet *Regis facti*, vti ex Annalibus Metensibus retulimus, primum fuisse regni annum innuunt. Et hæc de schedâ illâ ab incognito auctore è triuio aliquo desumptâ sufficiant, in gratiam illustrium scriptorum, qui inde sibi ἀλεξητήριον sperarant, examinata.

In Chronico MS. collegij Treuirensis Societatis Iesu auctore Saxone anonymo, hæc leguntur ad annum IↃCXCII, Iustiniani Imperatoris VI, *Chlodoueus filius Theoderici cum fratre Hildiberto regnare cœpit.* Potuit scripti Bongarsiani auctor regnum Childeberti cum fratre Chlodoueo regnantis cœpisse à morte Theoderici parentis, ac posteà perrexisse à morte Chlodouei fratris numerare annũ V regni Childeberti, atq; ita nobiscum in annis Christi adiungendis necessariò consentiet. Eâ fortè ratione annos regni Childeberti numerant nonnulli septemdecim, qui à morte Chlodouei solùm fuerunt tredecim. Wasseburgius lib. 2 Antiquitatum Gallo-Belgicarum, in Agreberto XVII Episcopo Virdunensi, edidit partem testamenti Wolfandi, fundatoris celebris Abbatiæ S. Michaëlis, cum hac clausulâ: *Facta est hæc donatio in ipso monasterio, multorum conuentu bonorum hominum, anno* XV *regni Domini nostri Childeberti Regis. Signum VVolfandi, qui testamento donationis fieri rogauit. Ego VVolfandis Abbatissa signo. Signum Aggrebardi Episcopi* &c. Quæ si mendis typographicis carent, neque annus XV in locum XI aut XII irrepsit; annos illius cùm fratre Chlodoueo regnantis numerari oportet. Nos cum reliquis auctoribus à Chlodouei fratris obitu eos inchoamus, quod hîc monuisse sufficit.

Auctor coæuus Historiæ iussu Childebrandi scriptæ apud Fredegarium cap. 104 hæc tradit. *Mortuus est his diebus Childebertus Rex, & sepultus Cauciaci in basilicâ S. Stephani Martyris. Regnauit autem annos tredecim.* Eodem modo *annos Childebertum tredecim regnasse*, legitur in Chronicis Regum Frãcorum breuiter digestis, & ex MS. Tiliano tomo I Scriptorum historiæ Francorum à Chesnæo pag. 797 vulgatis, & sequitur Ado in Chronico. Hos autem tredecim annos numeramus ab obitu Chlodouei, siue ab anno IↃCXCVIII ad

IↃCCXI,

IↃCCXI, quo Childebertum è vitâ decessisse referunt Annales Metenses, vti & Annales Franciæ breuiores ab auctoribus coæuis scripti, sub initium tomi II historiæ Francorum ab eodem Chesnæo editi: horum alij in monasterio S. Nazarij iuxta Rhenum scripti, & à Marquardo Frehero primùm publicati sunt; alij ex peruetustis Codicibus MSS. Ioannis Tilij & Alexandri Petauij vulgati. Eodem anno obiisse Childebertum nobiscum censent Bucherius, Petauius alijque hactenùs dissidentes, ab anonymo fabulatore de Gestis Francorum (quem toties reiecerant) adiuti. Apud hunc *Chlodoueus* III *annos* solùm *regnauit duos*, *Childebertus* XVII. Verùm illi, prioribus annis reiectis, posteriores allegant, tamquàm, vt in viam redirent, necessarios.

Quot annos Childebertus natus vitam finierit, incertum est. Chlodoueus III *paruulus Rex factus* traditur, & *puer mortuus*. Hoc Rege Childebertus frater iunior XIII solùm annis regnauit, sed ductâ vxore, & relicto filio DAGOBERTO mortuus: quem alij etiam *puerum*, alij *iuuenculum Regem*, & passim omnes *iuniorem* DAGOBERTVM appellant. Historia iussu Childebrandi scripta hæc solùm habet: DAGOBERTVS *filius eius sedem regni patris sui accepit*. Annales Metenses: *Post cuius*, Childeberti, *decessum Pippinus solitâ pietate filium eius* DAGOBERTVM *in Regem ordinauit*. Quæ in Genealogia Regum Francorum, vsque ad vnctionem Pippini Regis ex MS. Regis Britanniarum editâ, ita leguntur: *Childebertus verò mox vt migrauit ad Dominum, regnum eius suscepit filius eius adhuc puer*. Eadem verba repetuntur in libello vetusti auctoris de Maioribus Domus regiæ. Et certè ætas Childeberti morientis persuadet hanc necdum maturam filij ætatem, quâ patri successit. Eadem infrà stabilientur.

Childebertus Rex Solemium, Hannoniæ vicum in pago Fanomartensi situm, dedit celebri prope Parisios monasterio S. Dionysij, diplomate *anno regni* XII, *die* XII *Martij*, Christi IↃCCX signato: quod integrum vulgauit Dubletius in Antiquitatibus monasterij S. Dionysij pag. 688, & contractum Miræus in Notitiâ Ecclesiarum Belgij cap. 12. Idem Rex *Childebertus concessit Pippino* Herstallio, *de suo fisco & ex largitatis suæ munere, villam Elistè nuncupatam in loco Marithaime, in pago Batuâ*, vti testatur Carolus Martellus in diplomate à Wilhelmo Hedâ in Historiâ Vltraiectinâ relato, quo eadem villa donatur S. Willibrordo ab ipso Carolo Martello, cui *genitor suus* cùm eam *villam iure hæreditario in proprietatem concederet*, prudenter commonstrat auctoritate *Regis Childeberti* de fisco regio fuisse sublatam, vt ansa cauillationis præcideretur iis, qui eam conuellere donationem vellent.

II

Suprema in Childeberti & DAGOBERTI regno præfectura Pippini. Huius coniux Plectrudis, num repudiata? Illius obitus.

ERat *Pippino*, vt legitur in Historiâ iussu Childebrandi scripta cap. 100, *vxor nobilis & prudentissima nomine Plichtrudis, genuitq; ex eâ filios duos: nomen senioris Drocus, nomen verò iunioris Grimoaldus.* Et dein cap. 101 post indicatum principium regni Childeberti, additur: *Drocus verò à Pippino genitore eruditus, Ducatum Campanensem accepit, Grimoaldus iunior cum Childeberto Rege Maior-Domus Palatij super Francos electus*

ctus est : fuitq; vir mitissimus, omni bonitate & mansuetudine repletus, largus in eleemosynis, in orationibus promptus. Interim Pippinus & Plectrudis viros Apostolicos ope atque auctoritate iuuabant, deque ecclesiis & monasteriis optimè promerebantur, vt alibi sæpè occasio erit dicendi. Wasseburgius in antiquitatibus Gallo-Belgicis pag. 100, & Philippus Labbeus in Miscellaneis curiosis cap. 5 § 1, vulgarunt illustre monumentum donationis, ac dein commutationis ab his Principibus factæ, cuius hîc partem damus hoc exordio:

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Dum inter illustro viro Pippino eiusq; illustrâ matronâ Plectrude, apud Apostolico viro Armonio Episcopo Virdunensis vrbis, seu & venerabili viro Anglebertо Archidiacono, qui in ecclesiâ S. Videno, vbi suus pretiosus corpus quiescit, præest, esset cambatio de locellâ per commutationis titulum, sibi inuicem & congrua vel opportuna facere deberent; quod ita & fecerunt. Ideò per præsentem commutationem donat illuster vir Pippinus, eiusq; illustra matrona Plectrudis locum nuncupante Parарico ... ad partem Ecclesiæ Domino Videno, vel qui ibidem præfuerint, aut Clericis ibidem deseruientibus, in omnem soliditatem donant & affirmant, vt, quidquid de his vtile Ecclesiæ decreuerit voluntas, faciendi liberam habeat potestatem. Similiter donat ipse Apostolicus vir Armonius Episcopus, & venerabilis vir Anglebertus Archidiaconus, locum nuncupante Commentarias, quem ipse Pippinus eiusq; illustra matrona Plectrudis ad ipsam Ecclesiam Domino Videno per chartulam cessionis eorum tradiderunt, cùm ædificiis, pratis ... Facta hæc commutatio sub die XIII *Kalend. Februar. anno* VII *regni Domino nostro Childeberto Regis*, ergo anno Christi IↃCCV. *Ego Hardricus, iubente Domino Pippino eiusq; illustrâ matronâ Plectrude, hanc chartam scripsi & subscripsi.* Hæc ibi de donatione Pippini & Plectrudis, & dein post elapsum aliquot annorum spatium commutatione anno IↃCCV factâ ab eisdem

eisdem Pippino & Plectrude simul degentibus. Idem *Pippinus glorioſiſſimus Dux cum nobili coniuge ſuâ Plectrude ædificauit Floriacum cœnobium in pago Velocaſſino, anno* IX *Childeberti Regis*; ergo anno Chr. IↃCCVII aut sequenti. Agitur de eo cœnobio in Chronico Fontanellensi in Baino Episcopo & Abbate, quem eidem *præfecit Pippinus Rectorem.*

In historiâ iussu Childebrandi scriptâ cap. 102 hæc de Pippino referuntur: *Pippinus contra Ratbodum Ducem Gentilem Friſionum gẽtis aduersùs alterutrum bellum intulerunt, caſtro Doreſtate, illic belligerentes inuicem. Pippinus victor extitit, fugatoq; Ratbodo Duce cùm Friſionibus, qui euaſerant, idem Pippinus cùm multis ſpoliis & prædâ reuerſus eſt. Poſt hæc Drocus filius Pippini à validâ febre correptus, mortuus eſt, & ſepultus in baſilicâ B. Arnulfi Confeſſoris in Mettis vrbe. Grimoaldus quoque ex quadam concubinâ genuit filium, nomine Theudoaldum.* Quo hæc tempore gesta sint indicatur in Annalibus breuibus à Frehero ex MSS. S. Nazarij editis, qui sic incipiunt: *Anno* IↃCCVII *Pippinus ſenior regnare cœpit*, ob victoriam de Ratbodo reportatam. *Anno* IↃCCVIII *Drogo mortuus. Anno* IↃCCX *Pippinus perrexit in Alemanniam.* Annales alij ex MSS. Tilij & Petauij ita incipiunt: *Anno* IↃCCVIII. *Quando Drogo mortuus eſt tempore verni. Anno* IↃCCIX *Quando Domnus Pippinus perrexit in Suauis cõtra VVilarium. Anno* IↃCCX. *Item Pippinus in Suauis contra VVilarium.* Bellum hoc Sueuicum pluribus refertur in Annalibus Metensibus, quo omisso, hæc traduntur in Historiâ iussu Childebrandi scriptâ, cap. 103 & 104: *Igitur præfatus Pippinus aliam duxit vxorem nobilem & elegantem, nomine Alpheidam, ex quâ genuit filium, vocauitq; nomen eius linguâ propriâ Carolum. Creuitq; puer elegans, atque egregius factus eſt. Mortuus eſt his diebus Childebertus Rex*, anno, vt diximus, IↃCCXI. Quæ autem inter obitum Droci, seu Drogonis & Childeberti

deberti Regis narrantur de Alpaide & Carolo Martello, referuntur ad annos interpositos IↃCCIX & IↃCCX, quando forsan Carolus post obitum Droci, seu Drogonis, in familiam est à Pippino adscitus. Quo tamen tempore Pippinus & Plectrudis simul viuebant, quando eas, quas habebant Epternaci possessiones, donasse S. Willibrordo suprà diximus relato diplomate, cuius hoc est exordium: *Ego in Dei nomine illustris vir Pippinus, filius Ansgisi quondam, nec non illustris matrona mea Plectrudis filia quondam Hugoberti.* & hæc additur clausula: *Actum Gaimundis* III *Idus Maias regni D. N. Childeberti anno* XII. *Pippinus & Plectrudis ... subscripsêre.* Fuit is annus Christi IↃCCIX aut sequens.

In Historiâ iussu Childebrandi scriptâ, narrato exordio regni DAGOBERTI additur, *Grimoaldum filiam Ratbodi Ducis duxisse vxorem.* vti etiam habetur in Annalibus Metensibus ad illum annum IↃCCXI, & hæc subduntur: *Anno* IↃCCXII *Pippinus iterum obstinatione Alamannorum motus, Rhenum transiens cum validâ manu totam illam regionem subuertit, suæq; ditioni subegit. Anno* IↃCCXIII *Pippinus* Princeps *infra* Principatus *sui terminos ea quæ pacis erat disponens, in nullam partem eo anno exercitum duxit. Anno* IↃCCXIV *ægrotante* Pippino *in Iopilâ villâ publicâ, quæ sita est super fluuium Mosam, cùm ad visitandum eum filius eius Grimoaldus properaret, & ad orationem in basilicâ S. Lamberti Martyris processisset, & diutiùs in oratione pronus persisteret, à nequissimo viro, nomine Rangario, gladio percussus occubuit.* Pippinus *verò* Princeps *de infirmitate conualescens, omnes qui in illo consilio fuerant, iustâ vltione interemit: in locumq; Grimoaldi filium eius parvulum ex concubinâ natum, nomine Theodaldum, Maiorem-Domus cùm* DAGOBERTO *Rege constituit,* Hæc ibi: quorum aliqua de morbo Pippini, nece Grimoaldi, & Theudoaldo creato Maiore-Domus, etiam leguntur in Historiâ iussu

Childebrandi scriptâ cap. 103.

In illo morbo post necem Grimoaldi coram Plectrude coniuge suâ Suuestram prædium S. Willibrordo donasse Pippinum tradit Browerus lib. 7 Annalium Treuirensium pag. 435. *Diploma*, inquit, *vetus inspeximus, quo ipse* Pippinus *in villâ Bagoloso, regnante iam tum* DAGOBERTO, *iacens ex morbo, S. VVillibrordum prædio Suuestrâ donat, quod prædium ipsum ad riuum cognominem in pago Mosariorum situm esse confirmat, atque vt in nepotum, Grimoaldi & Drogonis filiorum, sit tutelâ, cauet. Denique cùm propter morbi magnitudinem subnotare non potuisset ipse, Plectrudi coniugi dat negotium, vt ipsa donationem subscribendo corroboret.* En Plectrudis coniux cum suo marito, & prædium Suuestra tutelæ non Caroli Martelli, sed nepotum, Drogonis & Grimoaldi filiorum, commissum. Illam donationem Theofridus in Vitâ S. Willibrordi ita affirmat: *Idem munificus Princeps, sub chirographi conscriptione, anno* IV *Regis* DAGOBERTI, VI *Nonas Martij, tradidit illi* Willibrordo *villam in pago Mosariorum sitam, & à præterfluentis fluuij nomine Suestram nuncupatam, & egregiæ Blittrudis sagaci industriâ ab ingenuis viris pecuniæ impendiis comparatam.* Est Suestra, siue Sustera, illustre nobilium Virginum monasterium cùm oppido adiuncto circiter ter mille passus à Mosâ remotum, è regione ferè Masaci, seu Masecæ oppidi, Traiectum inter & Ruremundam, in pago siue Comitatu Mosariorum, siue Masauiorum, aut Maselandiæ, de quo nomine alibi accuratè actum est.

Eodem quoque anno IↃCCXIV, vt traditur in Annalibus Metensibus, *Pippinus Princeps iterum molestiâ corporali correptus, circumsitis gentibus Francorum dominationi subactis, in pace obiit* XVII *Kalend. Ianuar. Rexit autem populum Francorum annis* XXVII *& mensibus sex.* In Annalibus Francorum auctioribus, è MS.

Tiliano

Tiliano à Chesnæo pag. 11 tomo 2 historiæ Francorum editis, hæc leguntur: *Anno* IↃCCXIV *depositio Grimoldi, & depositio Pippini in medio Decembrio.* Ab eius obitu ita incipiunt Annales Francorum Fuldenses: *Pippinus filius Anchisi Dux Francorum, post mortem VVolfaldi Ducis partem Austriæ regebat, obtinuitq; regnum Francorum per annos* XXVII *cum Regibus Ludouico, Hildeberto &* DAGOBERTO. *Moritur anno* II *Anastasij Imperatoris, qui est ab Incarnatione Domini* IↃCCXIV *in mense Decembri.* Eodem anno IↃCCXIV vitâ functum esse passim omnes Chronologi & historiographi scribunt, etiam Bucherius, Fisen, aliique hactenùs à nostrâ chronotaxi discrepantes, qui absque vllo præuio exemplo præfecturam Pippini ad annos quadraginta protraxerunt.

Mortuo Pippino *relictam esse Plectrudem viduam* tradunt Annales Metenses: quam ad obitum vsque marito cohabitasse innuunt antiqua monumenta. Amauit interim Pippinus Alpaidem, exeâque genuit Carolum Martellum & Childebrandum: cuius iussu scripta Historia refert, vt suprà dictum, *Pippinum aliam duxisse vxorem*, idque, vt addunt Annales Fuldenses, *priore coniuge posthabitâ*, seu minùs amatâ. Verùm quæ in eadem Historiâ appellatur *concubina Grimoaldi*, ex quâ hic genuit Theudoaldum, in Genealogiâ Regum Francorum ex MS. Regis Britanniarum editâ, & in libello de Maioribus Domus regiæ, vocatur etiam *alia coniux Grimoaldi*, vti mater Caroli, *alia Pippini vxor*: vt hæ voces, *alia coniux*, *alia vxor*, & *concubina* videantur pro eodem promiscuè sumi. Hinc in Erchanberti fragmento, ex Breuiario Regum Francorum & Maiorum-Domus, dicitur *Carolus filius Pippini ex concubinâ*, & à Flodoardo lib. 2 Historiæ Ecclesiæ Remensis ante annos IↃC scriptæ cap. 12, *Carolus ex ancillæ stupro natus*, quæ in Historiâ iussu Childebrandi scri-

ptâ *elegans & nobilis* habetur. Quæ ex Pseudo-Marcellino in Vitâ S. Swiberti referuntur, pro neutrâ parte merentur citari.

III

Bellum sub DAGOBERTO *inter Austrasios & Neustrios. Obitus* DAGOBERTI.

IN Historiâ iussu Childebrandi scriptâ hæc leguntur cap. 104: *Post obitum eius*, id est, Pippini, *Plichtrudis matrona præfata, suo consilio atque regimine cũcta agebat.* & quidẽ *discreto regimine*, vt explicat Chronicon Moissiacense. Sed dein, vt refertur in Annalibus Metẽsibus, *maxima cõturbatio orta est in gente Francorum. Nam maiores natu filij eius Drogo & Grimoaldus, ipso* Pippino *viuente, vitâ discesserant. Theobaldus verò, Grimoaldi ex concubinâ filius adhuc puer erat: qui etsi patri in principatu successerat, minimè tamen tantum regnum dignè gubernare præualebat.* Quo tempore, vt in priori Historiâ legitur, *Franci mutuò in seditionem versi, consilio inutili, commissâ acie in Cociâ siluâ contra Theudoaldum & leudes Pippini quondam & Grimoaldi inîêre certamen: corruitq́ ibi immodicus exercitus. Theudoaldus itaque à sodalibus suis per fugam lapsus euasit. Magna & valida perturbatio & persecutio extitit apud gentem Francorum. Eo tempore elegerunt in honorem Maioris-Domus quemdam Francum, nomine Raganfridum. Commotoq́ exercitu hostili vsque Mosam fluuium properant, cuncta vastantes. Cum Radbodo Duce fœdus inierunt. His diebus Carolus Dux, à præfatâ fœminâ Plichtrude sub custodiâ detentus, Dei auxilio liberatus est. Eodem tempore* DAGOBERTVS *Rex obiit, regnauitq́ annos quinque.*

Eadem

Eadem, sed aliquantulùm amplificata, traduntur in Annalibus Metensibus, scilicet à *Francis in locum Theodaldi Raginfridum Maiorem Domus sub* DAGOBERTO *Rege constitutum esse. Tunc gentem illam omnium beneficiorum inuicti Principis* Pippini *pariter oblitam, in Austrasiam toto impetu properantes, vsque ad Mosam fluuium totam illam regionem vastauisse.... Eodem tempore* DAGOBERTVM *Regem obiisse, qui regnauit annis quinque.* In Annalibus Francicis breuibus ex MSS. S. Nazarij à Frehero editis hæc coniunguntur: *Anno* IↃCCXV *Fugna Francorum & mors* DAGOBERTI *Regis.* In aliis Annalibus ex MSS. Tiliano & Petauiano: *Anno* IↃCCXV DAGOBERTVS *Rex mortuus est, & Saxones deuastauerunt terram Hattuariorum,* siue *Hazzoariorum.* Quæ eadem leguntur in Annalibus Fuldensibus. At Chronicon Moissiacense: *Eo tempore* DAGOBERTVS *Rex ægrotans mortuus est anno* II *regni sui.* Quod regni tempus melius exprimitur in Gestis Francorum: *Sequente tempore* DAGOBERTVS *Rex ægrotans mortuus est, regnauitq; annos* V. Ita alibi passim *mortuus* dicitur, nusquàm *occisus*: quod tamen, vt infrà examinabitur, recentiores dixerunt. Annos quinque regni eius numeramus ab initio anni IↃCCXI ad finem ferè anni IↃCCXV. atque ita in Chronico breuissimo ex MS. Tiliano pag 781 à Chesnæo tomo I historiæ Francorum relato, dicitur: DAGOBERTVS *regnauit annos* IV, *obiit in* V. Baronius tradit *anno* IↃCCVIII *in locum Childeberti subrogatum* DAGOBERTVM II, *regnum tenuisse annos quinque.* At veritus, vt eos rectè componeret cum morte Pippini, ac initio præfecturæ Caroli Martelli, altissimo eius obitum silentio inuoluit.

Huius DAGOBERTI diplomate anno II regni signato, confirmantur immunitates aliaque priuilegia à genitore eius Childeberto concessa Ecclesiæ Cenomanensi. Refertur id

à Labbeo in Miscellaneis curiosis cap. 3 § 2, vbi agit de DAGOBERTO I, annotat tamen ad hunc DAGOBERTVM pertinere: à quo *Præceptum immunitatis Ecclesiæ suæ obtinuisse S. Rigobertum Episcopum Remensem* tradit Flodoardus lib. 2 Hist. Eccl. Remensis cap. 11. Sed & *Hugo* Drogonis filius, Pippini nepos, *dum adhuc laicus esset, largitus est Benigno Abbati Fontanellensi Vierlacum villam, quæ sita est in pago Tellau super fluuio Eora, quæ ipsi de iure prædictorum parentum suorum obuenerat. Facta est hæc largitio ab anno Dominicæ Incarnationis* IↃCCXIII, *qui fuerat annus* DAGOBERTI *iuuenculi Regis* III, *Pippini autem Ducis* XXVI, XI *Kalend. Iuliarum die, feriâ* IV. Ita Chronicon Fontanellense in Hugone Abbate: in eum annum IↃCCXIII reliqui characteres conueniunt, cyclo Solis XXII & litterâ Dominicali A, Imò, vti in Benigno Abbate narratur, *anno quinto, regnante* DAGOBERTO *iuniore Rege, quidam Presbyter, nomine Leutbertus, vir valdè diues, contradidit eidem venerabili Patri Benigno prædium, quod vocatur Bodardi-villa, situm in pago VVinnau.... vnde statim priuilegium confirmationis, à prædicto Rege editum, accipere curauit, quod adhuc in scriniis nostri cœnobij reconditum retinetur.* Quin & *Benigno Abbati largitus est* DAGOBERTVS *Rex iunior quartam partem de Arlauno foreste, anno quinto regni sui, suggerente Theodaldo Maiore-Domus regiæ, per loca designata.... Edita est autem hæc donatio, siue confirmatio, à præfato Rege* DAGOBERTO, *anno Dominicæ Incarnationis* IↃCCXV, *Indictione* XIII, V *Iduum Iuniarum die Dominicâ. Eodem anno ipse* DAGOBERTVS *Rex mortuus est.* Congruunt & hîc characteres, concurrente in dictum annum cyclo Solis XXIV, litterâ Dominicali F. Ibidem recensentur villæ aliaúe donaria, quæ eidem Benigno Abbati collata sunt, cum hoc benè meritorum ordine: *Ermoaldus primo anno* DAGOBERTI *iuuenculi Regis* X *Kalend. Martij. Erinnulfus anno* II. *Gaugia fæmina*

mina anno III, *Erinfridus anno* IV. & *Aganulfus anno* V, XIII *Kalendas Aprilis*. Sed eminent *Brotmundus* eiusque filius *Milo Presbyter*, qui *tempore conuersionis suæ huic monasterio largiti sunt patrimonia duo Offimacas & Bettonis curtem in pago Tellau, anno* III *Dagoberti iunioris, qui erat Pippini senioris Ducis* XXVI, *Incarnationis Dominicæ* IↃCCXIII. Ac relatâ sanctè à Milone peractâ vitâ, addit auctor: *Audiui narrantem quemdam venerabilem senem, qui ab eo didicit, qui ipsum Milonem multo tempore vidit, quòd fuisset staturâ procerus, vultuq; angelicus, caluitiem habens capitis venerandam.* vnde, quo vixerit tempore scriptor Chronici Fontanellensis, sciri potest. De eo infrà iterum agemus.

IV

Chilpericus Rex successor DAGOBERTI, *filius Childerici Regis anno* IↃCLXXIX *occisi. Illius bella & obitus. Contra eum Chlotarius à Carolo Martello Rex creatus. Abbates primi Corbeienses.*

MOrtuo in iuuenili ætate DAGOBERTO Rege, & adhuc, quod verosimilius nobis videtur, cælibe & forsan impubere, *Franci Danielem quondam Clericum, cæsarie capitis crescente elegerunt, atque Chilpericum nuncupant.* Ita Historia iussu Childebrandi scripta cap. 106, Chronicon Moissiacense, Annales Metenses, aliaque Gesta & Genealogia Regum Francorum. Monachus Egolismensis in Vitâ Caroli Magni hunc *Chilpericum* scribit esse *fratrem* DAGOBERTI *iunioris*, *illiusq;*

illiusq; consanguineum Theodericum successorem. Verùm ordo illic immutatus, fortassis ita emendandus, vt *Chilpericus* dicatur *consanguineus* DAGOBERTI *iunioris*, & *Theodericus frater Chilperici:* qui *Calensis* cognominatur, quòd feratur *in monasterio Calâ enutritus*, sub S. Bathilde, quam auiam suam Chilpericus agnoscit, vti Childericum patrem: post cuius necem vixit S. Bathildis in Calensi monasterio ad annum ferè IↃCLXXXV: cuius *anima recepta est ab Angelorum choro, vel obuiante amico suo fidelissimo quondam Domno Genesio Episcopo* Lugdunensi, mortuo mense Nouembri anno IↃCLXXXIV: vti auctor non multis annis post obitum S. Bathildis in eius Vitâ narrat. In hoc ergo monasterio post necẽ patris Childerici videntur hi filij eius delituisse, tutelamque & defensionem securissimam obtinuisse apud S. Bathildem auiam, ac post huius obitum apud S. Bertilam eiusdem monasterij Abbatissam, aliasque sanctimoniales. Quarum consilio, vt omnis præcideretur inuidię contentionisque occasio, apud Regem Theodericum patruum, eiusque liberos & fautores, videtur Chilpericus in Clericum attonsus esse & nomẽ Danielis assumpsisse.

Huius Chilperici natiuitatem certam atque indubitatam reddit diploma ex codice MS. Virdunensi editum à Philippo Labbeo in Miscellaneis curiosis cap. 5 § 2, quo confirmãtur bona monasterio Corbeiensi donata, genusque regium huius Childerici indicatur. Ex illo nonnulla huc transcribo: *Religiosus*, inquit, *& venerabilis Abbas de monasterio, cognominante Corbeiâ, qui ponitur in pago Ambianense, quem auunculus noster Chlodechariis quondam Rex vel Domna & aua nostra Baldechildis quondam Regina, ob amorem Christi in honorem SS. Petri & Pauli Principum Apostolorum & S. Stephani Martyris, visa fuerunt construxisse, ad nostram accessit præsentiam, Clementiæ*

regni

regni nostri suggessit, eò quòd præfatus auunculus noster Chlottarius quondam Rex, seu etiam dicta aua nostra Domna Baldechildis Regina, vnde luminaria monachi ibidem consistentes habere deberent, de teloneo ad Fossas annis singulis ad ipso monasterio concesserunt.... Vnde & ipsâ præscriptione subscripto auunculo nostro Clodecario, nec non & auâ nostrâ Baldechilde Reginâ, sed & confirmatione Domno & genitore nostro Childerico quõdam Rege, ipse venerabilis Sebastianus Abba nobis in præsente de hoc protulit relegenda.... Data sub die tertio Kalend. Maij, anno primo regni nostri, Compendio, in Dei nomine feliciter. Annus is erat Christi IↃCCXVI, quo *Sebastianus* Corbeiẽsium quartus Abbas viuebat. Primus fuit *S. Theodefridus*, tẽpore Chlotarij III fundatoris: quo ad Episcopatum Albigensem euecto, cûm Theoderici Regis consensu succesſit II Abbas *Chrodegarius:* quo vitâ functo constitutus est III Abbas *Erembertus*, cuius electionem idem Rex Theodericus confirmauit. At Sebastiani successor *Grimo* quintus Corbeiensis Abbas anno IↃCCXLI Romam ad Gregorium III Pontificem à Carolo Martello legatus est. Chlotharij & Theodorici Regum pro Corbeiensibus tabulas edidit Sirmondus tomo I Cõciliorum Galliæ ex codice Virdunensi, ex quo etiam descripserat diplomâ Chilperici à Labbeo vulgatum: cui & tempora Chilperici Regis & *Sebastiani* Abbatis fidem conciliant, quam præcedentium diplomatum consensus certissimam reddit: vt mirum sit Chilpericum filium Childerici ab San-Marthanis lib. 4 Historiæ Genealogicæ Francorum cap. 6 alium statui à Chilperico Daniele, DAGOBERTI Iunioris successore, de quo agunt cap. 9.

Hunc DAGOBERTVM *Regem* Chilpericus *consobrinum* suũ appellat in altero diplomate monachis S. Mauri ad Ligerim dato *Parisiis* VIII *Kalend. Maias anno* II *regni*, Christi IↃCCXVII,

in quo & meminit *Raganfredi Maioris-Domus.* Erant fratres Childericus pater Chilperici, & Theodericus auus DAGOBERTI Iunioris: hinc pro rudis illius æui inscientiâ *consobrini* appellati. Magnam huius diplomatis partem edidit cum præcedenti Labbeus. Tertium eius diploma refert Dubletius in Antiquitatibus monasterij S. Dionysij pag. 689, *datum Compendij pridie Kalend. Martias* eodem *anno* 11 *regni*, in quo mentio fit *Turnoaldi Episcopi Parisiensis*, & *Raganfridi Maioris-Domus.*

Hic ergo *Chilpericus filius Childerici* à Francis in Neustriâ in Regem assumptus, quod decessores Reges sub Pippino non fecerant, ipse quadraginta circiter annos natus, præfuit militiæ, exercituſque duxit: ac primò *anno* IↃCCXVI in auxilium belli *Radbodo Frisonum Duce* euocato, cum *Raganfredo Maiore-Domus* Austrasiam ingressus, & clade aliquâ exercitui Caroli Martelli illatâ, *Colonienſium ditiones*, & *regiones Rheno vicinas vastauit*, *acceptisq; à Plectrude muneribus reuertens*, ab exercitu Caroli *grande perpessus est damnum.*

Anno IↃCCXVII post priuilegium monasterij S. Dionysij signatum *Compendij pridie Kalend. Martias*, & *Rex Chilpericus* & *Raganfridus Maior-Domus* exercitum in Austrasiam duxerunt. At *Vinciaci in pago Cameracensi*, *die Dominicâ in Quadragesimâ*, XII *Kalend. Aprilis*, *à Carolo deuicti*, *& in fugam lapsi terga vertentes*, *euaserunt. Quos Carolus Parisios vsque persecutus est.* vt legitur in Historia iussu Childebrandi scriptâ, Annalibus Fuldensibus, Metensibus, aliisque. Dicto anno IↃCCXVII, cyclo Lunæ XV, Solis XXVI, litterâ Dominicali C incidebat Pascha in diem IV Aprilis, & dies XXI Martij, seu XII Kalendas Aprilis, in Dominicam Passionis, vt eam ritu Ecclesiastico appellamus. Regressus Parisios Rex cum Raganfredo, ibidem VIII *Kalendas Maias* signauit alterum, quod dixi-

diximus, monasterio S. Mauri ad Ligerim indultum priuilegium.

Carolus victor regressus, Coloniam vrbem cepit reseratam, & thesauros patris Pippini à Plectrude sibi tradi curauit. Quæ in Annalibus Fuldensibus ad annum IↃCCXVIII referuntur, quando *Carolus Chlotarium Regem constituit, nomine, non potestate.* Tunc *Chilpericus Rex & Raginfridus, auxilio Eudonis Ducis Aquitanorum instauratâ rursus acie, superati fugantur à Carolo*, secundùm eosdem Fuldenses Annales. Verùm *Eudo*, vt addit historia iussu Childebrandi scripta, *Chilpericum Regem secum cũ thesauris suis auexit. Chlotharius Rex eo anno obiit. Insecuto anno* IↃCCXIX *Carolus per Missos suos amicitias cum Eudone Duce faciens, ab eo prædictum Regem cum multis muneribus recepit. Venienſq; vrbem Nouiomo post non multum tempus cursum vitæ & regnum amisit, & mortuus est, regnauitq; annos* VI. Hæc ibi. At reliqui annos V scribunt, qui anni istic restituendi, à IↃCCXV scilicet ad IↃCCXX, quo Chilpericum mortuum esse referunt etiam Annales Fuldenses. *Hugo* filius Drogonis, nepos Pippini, *largitus est VVitlanam villam VVandoni Abbati Fontanellensi anno* I *Chlotharij Regis, quem Carolus post fugam Chilperici ac Ragenfridi Regem sibi statuerat. Et possessa est* ea villa *ab hoc cœnobio vsque ad regimen VVidonis laici Abbatis per annos* XLIII. Ita Chronicon MS. Fontanellense.

V

Theoderici vltimi regnum XVII *annorum. An* DAGOBERTO *patre natus? Interregnum Caroli Martelli.*

INter Reges Francorum primæ ſtirpis Merouingicæ quatuor fuêre, *Theoderici* nomine: primus Chlodouei I filius, qui regno Francorum quadrifariàm diuiſo ab obitu patris, id eſt à XXVII Nouembris anni IↃIX, regnum Metenſe, quod dein Auſtraſiorum dictum eſt, capeſſiuit, mortuus ſub finem anni IↃXXXIII aut initium ſequentis. Secundus *Theodericus* eſt filius Childeberti Regis Auſtraſiorum, & à morte S Guntramni, etiam Burgundiæ, quo anno IↃXCVI vitâ functo, regnum Burgundiæ obtinuit *Theodericus*, & Theodeberto fratre prælio victo, etiam Auſtraſiorum anno IↃCXII, at ſequente ICCXIII Metis mortuus. Tertius *Theodericus* eſt filius Chlodouei II, qui Chlothario III fratre ſeniore defuncto anno IↃCLXXVI Rex Neuſtriæ electus regno pulſus, euocato ex Auſtraſiâ Childerico altero fratre: quo dein anno IↃCLXXIX occiſo, regnum recuperauit, tenuitque vſque ad annum IↃCXCIV.

Quartus *Theodericus, mortuo Chilperico anno* IↃCCXX, *à Carolo* Martello *in ſedem regni conſtitutus eſt*, vti his verbis traditur in Annalibus Fuldēſibus. Auctor Hiſtoriæ iuſſu Childebrandi ſcriptæ cap. 107, *Chilperico* Rege, inquit, *mortuo, Theodericum* Regem *ſtatuerunt in ſedem regni, qui nunc locum ſolij regalis obtinuit annis vitæ ſimul præſtolatis*, ſeu potiùs *protelatis*, vti legendum cenſet Labbeus in elogiis hiſtoricis Regum

gum Francorum num. 18. At *nunc* dicitur, quia Historiam suam auctor primâ vice finiuit cap. 109, relatis annis ab Adamo, diluuio, Abrahamo, Moyse, Salomone, templo reædificato, & Christo, vbi hæc leguntur: *A passione Domini vsque in istum annum præsentem in Cyclo Victorij anni* CLXXVII *Kalendis Ianuarijs, die Dominicâ anni* IↃCCXXXV, *&, vt istud millenarium compleatur, restant anni* CCLXV. Bucherius in eruditis Commentariis ad Canonem Paschalem Victorij ca. 10 explicat eos *annos in Cyclo Victorij* CLXXVII *Kalendis Ianuarijs die Dominicâ inchoatos fuisse, econtrà* IↃCCXXXV *completos, & quidem non à Passione, sed à Natiuitate Christi iuxta vulgarem epocham, quæ tunc in vsum sensim inuehebatur*, itaque incipiebat annus IↃCCXXXVI. At vixit Theodericus ad annum sequentem IↃCCXXXVII, vti legitur apud Labbeum in codice MS. computus Ecclesiastici his verbis: *A Natiuitate Domini vsque ad prædictum annum, in quo Theudericus Rex Francorum mortuus est,* IↃCCXXXVII: *in quo anno Indictione* V, *Epactæ* XV, *Concurr.* I.... *Pascha* IX *Kal. Aprilis Luna* XVII, &c. In Chronicis duobus breuissimis ex MS. Remensi, & MS. Tiliano relatis in Historiâ Francorum Chesnæi tomo I pag 781, dicitur *Theodericus regnasse annos* XVII, scilicet ab anno IↃCCXX ad IↃCCXXXVII. Hæc de annis regni Theoderici vltimi quẽ Childerico patre videri natum, & fratri Chilperico successisse suprà innuimus.

Gesta Reguli Francorum his verbis concluduntur: *Frãci Theudericum* II. *Cala monasterio enutritum, filium* DAGOBERTI *Iunioris, Regem super se statuunt: qui vsque nunc in regno subsistit.* Ex quibus ea, quæ ex Historia iussu Childebrandi, Theodorico viuente, scriptâ desumuntur, indubitata sunt, cuius imitatione se *tunc* etiam viuere finxit. Continuator Aimoini hæc Regum Gesta à cap. 44 interserit libro quar-

to, & continenti methodo historia Aimoini deducitur ad annum Christi CIↃLXV, relictis interim de Theoderico verbis istis: *Qui nunc sexto anno in regno subsistit*: tamquàm auctor idem seculis prope quinque continuis vixisset, qui seculo illo vndecimo videtur magnâ incuriâ Gesta Regum ex variis congessisse. In Fragmento Ercanberti hæc ita referuntur: *Theodericum filium* TAGOBERTI *iunioris Franci in Regem sibi statuunt, qui nutritus in Calâ monasterio erat, regnauitq; annis* VI. scilicet quia apud Continuatorem Aimoini legebatur eum *sexto anno in regno subsistere*. In Chronicis Francorum breuiter digestis ex MS. Tiliano pag. 797 & in libello vetusti scriptoris de Maioribus-Domus, dicuntur. *Franci Theodericum* DAGOBERTI *iunioris filium Regem super se statuisse*: quæ ex Gestis Regum Francorum descripta sunt. In eodem libello de Maioribus-Domus *regnum* DAGOBERTO *adhuc puero* collatum esse suprà retulimus: imò ex ætate eius & Childeberti patris ac Chlodouei III patrui probauimus eum in iuuenili ætate decessisse, ideoque nomen Iuuenculi & Iunioris obtinuisse.

Mortuo Theoderico, Carolus Martellus per reliquum vitæ tempus sine alio Rege imperauit, vsque ad annum IↃCCXLI, quo mense Octobri Parisiis vitâ functus est, & in monasterio S. Dionysij sepultus: cui antè indulserat priuilegium à Dubletio pag. 690 relatum, cum hac clausulâ: *Actum Careciaco villâ in palatio, quando fecit mensis September dies* XVII, *annum* V *post defunctum Theodericum Regem. Signum Inlustro viro Karlo Maiorim-Domus, qui hanc epistolam donationis fieri roganit.*

VI *Chil-*

VI

Childerici vltimi genus, regni abdicatio. Regnum Pippino anno IↃCCL *delatum. Theodericus filius Childerici monachus Fontanellensis.*

E Diuisione Caroli Martelli Principatum regni filij eius Karlomannus & Pippinus aliquamdiu absque vllo Rege administrarunt. Extat diploma Pippini, quo Ecclesiæ Matisconensis immunitates confirmantur, cùm hac clausulâ: *Signum Pippini Maioris-Domus. Ego Rodalgus iussus scripsi. Actum Kalendis Ianuarij in anno secundo Principatus eiusdem Pippini in ciuitate Metis in Palatio regio.* Is erat annus IↃCCXLIII, sub cuius initium assumptum esse Childericum vltimum in Regem Francorum, colligimus ex Concilio Suessionensi tunc habito, ad quod ita præfatur Pippinus: *In Dei nomine & Trinitatis. Anno* IↃCCXLIV *ab Incarnatione Christi, sub die* VI *Nonas Martij & Lunâ* XIV, *in anno secundo Childerici Regis Francorum, ego Pippinus Dux & Princeps Francorum.* Chronicon Fontanellense in Hugone Abbate tradit *Theodericum Regem* fuisse *patrem Childerici Regis uouissimi ex genere Merouingorum*, cuius filius, aui nomine Theodericus appellatus, ac patre deposito, in Clericum attonsus, in monasterio Fontanellensi collocatus est; vt infrà ex eodem Chronico dicetur. In Genealogiâ Regum Francorum apud Chesnæum tomo I pag. 793 dicitur etiam *Theodericus genuisse Hildericum, qui in Sithio monasterio constitutus est.* Monachum esse factum tradit Iperius Abbas Sithiuensis in Chronico Bertiniano capitulo 6 par. 2 his verbis: *Anno Principatus Pippini* VIII, *id est, anno Domini*

mini IↃCCL. *Pippinus videns Hildericum Regem senem, &... Reip. in nullo subuenire... nuntios misit ad Zachariam Papam... Audito responso Franci Regem Hildericum attonsum in monachum in monasterium istud S. Bertini in Sythiu detruserunt. Quem Abbas Nantharius in monachum suscepit, &, vt melius potuit, eius curam egit. Sic quoque Franci Pippinum sibi Regem statuerunt, qui de mandato Zachariæ Papæ coronatus fuit per S. Bonifacium Maguntinæ ciuitatis Archiepiscopum.* Extat diploma donationis monasterio Epternacensi à Pippino Rege factæ, cuius hoc est exordium: *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Pippinus illuster vir, Rex Francorum. Cùm propitiâ Diuinitate ad hoc intendimus, vt sanctis locis aliquid muneris impendimus, & regalis munificentiæ commendamus largitatem, & supernam nobis conciliamus pietatem; proinde notificamus omnibus Christi nostriq; fidelibus, esse locum in regno nostro Epternaca vocatum.* Reliqua paucis omissis leguntur apud Miræum in Notitiâ Ecclesiarum Belgij cap. 20. Hæc additur clausula: *Et vt hæc traditio nostra, regali auctoritate firmata, inconuulsa permaneat, hanc traditionem manu propriâ subter firmamus, & sigilli nostri impressione fideliter sigillamus. Signum Domini Pippini Regis glorioſissimi. Bonifacius Archicancellarius recognoui. Datum tertiâ Nonas Maij, anno Incarnationis Domini* DCCLII, *Indictione quintâ, anno verò Domini Pippini Regis tertio. Actum Compendio palatio in Dei nomine feliciter. Amen. Signum Garobaldi Episcopi. Signum Bernarei Episcopi,* &c. Erat signum Pippini litteris nomen eius more illius æui exprimentibus efformatum. At descriptum cum autographo consentire hoc testimonium confirmat: *Collationata est hæc copia cum suo originali, & verisona reperta de verbo ad verbum & litteris ad litteras, per me infrascriptum Concilij Regiæ maiestatis Luxemburgensis Prographæum.*

V. Strengh.

Secundùm

Secundùm hoc diploma annus IↃCCL, regni Pippini primus est: quam sententiam confirmant Annales quam plurimi ab auctoribus coæuis aut valdè antiquis conscripti. Quales sunt Annales Francorum auctiores ab anno IↃCCVIII ad annum IↃCCCVIII, quo auctor se vixisse testatur, ex MS. Tiliano à Chesnæo tomo 2 à pag. 11 editi: tum Annales Rerum Francicarum ex MS. Bauarico ab Henrico Canisio tomo 3 Antiquæ Lectionis vulgati, ab anno IↃCCXLI ad IↃCCXCIII, qui ex MS. Loiseliano continuantur apud Chesnæum à pag. 24 ad annum IↃCCCXIV. Dein Annales Regum Francorum ab Eginhardo Caroli Magni Notario ab eodem anno IↃCCXLI ad an. IↃCCCXXIX conscripti. Iisdem consentiunt tum Annales Bertiniani ab eodem etiam anno IↃCCXLI ad annum IↃCCCLXXXII continuati, tum Annales Metenses ad annum IↃCCCCVI deducti. Habemus penes nos codicem MS. admodùm vetusto charactere de Historiâ Pippini & Caroli ab nuptiis Ansperti cœptâ, sed cui post annum IↃCCCLXIII mutilo aliqua desunt. In hoc codice post relatum ad annum IↃCCXLVIII bellum Bauaricum & nuptias Pippini, ista traduntur:

Anno IↃCCXLIX *Burghardus Vurzeburgensis Episcopus & Fulradus Capellanus missi fuerunt ad Zachariam Papam interrogando de Regibus in Franciâ, qui illis temporibus non habentes Regalem potestatem, si benè fuisset an non. Et Zacharias Papa mandauit Pippino, vt meliùs esset illum Regem vocari, qui potestatem haberet, quàm illum, qui sine* Regali *potestate manebat. Vt non conturbaretur ordo, per auctoritatem Apostolicam iussit Pippinum* Regem *fieri.*

Anno IↃCCL *Pippinus secundùm morem Francorum electus est ad* Regem, *& vnctus per manum sanctæ memoriæ Bonifacij Archiepiscopi, & eleuatus à Francis in regno in Suessionis ciuitate.*

Anno IↃCCLI *Hildericus, qui falsè* Rex *vocabatur, tonsoratus est, & in monasterium missus.*

Anno IↃCCLII *Pippinus, monente S. Bonifacio, quibusdam Episcopatibus vel medietates vel tertias rerum reddit, promittens postmodùm omnia restituere.*

Anno IↃCCLIII *Pippinus* Rex *in Saxoniâ iter fecit . . . eodemq; anno Stephanus* Papa *venit in Franciam . . .*

Anno IↃCCLIV *supradictus Apostolicus Stephanus confirmauit* Pippinum *vnctione sanctâ in* Regem, *& cum eo inunxit duos filios eius Domnum Karolum & Carlomannum in* Regibus: *& Domnus Bonifacius Archiepiscopus in Frisiâ nuntians verbum Domini & prædicando Martyr Christi effectus est.* Hæc ibi, quæ ferè eadem in reliquis Annalibus citatis narrantur: vti etiam secunda à Stephano Papâ vnctio anno IↃCCLIV facta: quam etiam refert Iperius, additque: *Huius secundæ coronationis* Pippini *tempore* Rex *Hildericus monachus huius ecclesiæ obiit. . . Nec multò pòst Abbas Nantharius migrauit ad Dominum.* & mox capitulum 7 ita incipit: DAGOBERTVS *huius loci Abbas* VII *rexit monasterium à tempore secundæ coronationis* Pippini Regis, *ferè vsque ad obitum ipsius*: qui contigit VIII *Kalend.* Octob. anni IↃCCLXVIII.

Chronicon Fontanellense hactenùs dicta confirmat, ac filium Childerici vltimi suggerit his verbis: *Huic egregio Patri Austrulfo edidit gloriosus* Rex Pippinus *priuilegium quoddam suæ auctoritatis: in quo præcepit, vt nullus Iudex nec exactor reipublicæ Francorum, ad causas audiendas ac freda exigenda, nec fideiussores accipiendos, nec ad vllam exacturam gerendam, in potestatem huius cœnobij ingredi audeat: sed sub perenni suâ defensione ac protectione secura in æternum ab omni querimoniâ valeret permanere. Quod priuilegium in scriniis huius nostri monasterij pro munere sacro adhuc conseruatur. Editum est anno Dominicæ Incarnationis septingẽtesimo quinquagesimo, die octauo Iduum Iuniarum,*

rum, Vermeriâ palatio regio. Quo anno idem glorioſus Pippinus, ex conſultu B. Zachariæ Papæ vrbis Romæ, à B Bonifacio Archiepiſcopo vnctus, Rex conſtituitur Francorum, ablato Principis nomine. Vnde rumor potentiæ eius & timor virtutis in vniuerſas tranſiit terras. Et Hildericus Rex Merouvingorum ex genere ortus, depoſitus, tonſuſq; ac in monaſterio S. Audomari, quod dicitur Sythiu, truſus eſt. Cuius filius, nomine Theodericus, in hoc monaſterio anno ſequenti Clericus effectus, collocatus eſt. In eodem Chronico, in Wandone Abbate, *annus quintus Regis Pippini* numeratur *Dominicæ Incarnationis* IↃCCLIV, quo loco agitur de miraculis patratis ope S. Seruatij, de cuius Reliquiis particulas Wando Traiecto, vbi in exilio aliquamdiu fuerat, Fontanellam attulerat.

VII

S. DAGOBERTVS *Sathanacenſis Patronus, Martyr habitus: incertum an regiæ ſtirpis.*

SAthanacum vrbs Lotharingiæ perquàm munita, in confiniis Ducatus Luxemburgenſis ad flumen Moſam, ſacras Reliquias S. DAGOBERTI à pluribus ſeculis adſeruat. De hoc DAGOBERTO inquirimus, quis fuerit. Alij ſolùm *Martyrem* appellant: alij *Regem Francorũ; ſed Confeſſorem* quidam, nonnulli *Martyrem.* Antiquiſſimum monumentum, in quo illius memoria reperitur, extat in Chartulario monaſterij Gorzienſis, ſcriptum anno CIↃLXIX, quo eccleſiam S. DAGOBERTI tradidit monachis Gorzienſibus Godefridus Barbatus Lotharingiæ Dux, filius Gothilonis Ducis: cuius diplomatis partem hîc damus.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Godefridus Dei gratiâ Dux & Marchio... instinctu & supplicatione venerandæ collateralis nostræ Beatricis multoties sollicitatus, considerans, ecclesiam S. DAGOBERTI *apud Sathanacum, villam iuris nostri, & pretiosis ipsius sancti* MARTYRIS *ossibus, & multis aliis Sanctorum pignoribus illustratam sed à Canonicis inibi sub carnali vitâ degentibus, & sua potiùs quàm Diuina quærentibus, vsquequaque neglectam; virum boni testimonij & sanctæ conuersationis Henricum Gorziensem Abbatem & monachos eius, cum consilio Domini Conradi sanctæ Treuirorum Sedis Archiepiscopi, (in cuius diœcesi locus ipse situs erat) ceterorumque fidelium Dei ac nostrorum conuocauimus, & illis remotis istos in locum eorum substituimus. Quapropter notum esse volumus tam futuris quàm præsentibus sanctæ Gorziensis Ecclesiæ filiis & fidelibus, quia ecclesiam iam dictam* S. DAGOBERTI *S. Gorgonio & Abbati Gorziensi Henrico & successoribus eius legali donatione concedimus & confirmamus, & omnibus rebus sibi* EX ANTIQVITATE *appendentibus delegamus, id est, in dotibus altaris, in decimis, campis, pratis, pascuis, siluis, piscationibus, censibus, capaticis, & omnibus aliis pertinentiis. Præterea superaddimus eis iudiciarium mansum, superponimus cum reditibus suis ecclesiam sitam apud villam Mosacum... Et vt hæc donatio & confirmatio perpetuum*

memo-

memoriale obtineat, hanc descriptionem testamentalem iussimus exarari, & nostri sigilli impressione, simulque testium idoneorum affixione signari. Signum Godefridi Ducis. S. Beatricis coniugis suæ. S. Godefridi filij sui. S. Heselini Comitis ... Actum Bullioni, anno Dominicæ Incarnationis CIↃLXIV, *Indictione* VII, *regnante Henrico, filio glorioſi Imperatoris Henrici anno regni eius* XIII.

Godefridus Dux eodem adhuc anno CIↃLXIX, aut, vt alij volunt, CIↃLXX mortuus est, relictis Godefrido Gibboso hærede, & Idâ filiâ, quæ Eustathio Comiti Bononiensi nupta, peperit Godefridum Bullonium, dein Regem Hierosolymitanum. Hic Godefridi Gibbosi auunculi sui absque liberis mortui, hæreditatem adeptus, ecclesiam S. DAGOBERTI, ab Arnulfo Comite occupatam, monachis Gorziensibus restituit. Cuius beneficij diploma in eodem Chartulario Gorziensi refertur pag. 186, ex quo hæc excerpo:

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, Filij & Spiritus sancti, Godefridus, Diuinâ propitiante clementiâ, Dux & Marchio ... Notum esse volumus sanctæ vniuersalis Ecclesiæ filiis & fidelibus tam futuris quàm præsentibus, quia Dux Godefridus, auus meus, cùm Beatrice vxore suâ, apud Sathanacum iuris sui villam, in ecclesiâ sancti MARTYRIS DAGOBERTI, *pro suarum animarum remedio, monachos de monasterio S. Gorgonij constituerat, eisque inter alia ad supplementum victus & vestitus ecclesiam villæ Mosaci, quæ sine contradictione suæ potestatis erat, legaliter con-*

donauerat ... Quibus omnibus auditis & diligentiùs consideratis, visum est nobis, Comitem Arnulfum qui princeps ipsorum fuerat ecclesiæ peruasorum, sub nomine sacramenti & fidei coniurare, vtrumnam hæc omnia cognosceret vera esse, an potiùs ea vellet vel posset veraciter impugnare. Qui sine adiuratione acceptâ, confessus est hæc ita, vt diximus, acta esse, seque & interfuisse, & audisse & vidisse, &, ipso auo meo hanc donationem faciente, laudasse .... Et ipse iure obniti non valens, ad opus Dei & S. DAGOBERTI, *ibique deseruientium monachorum, ipsam ecclesiam nobis integrè & sine omni in posterum reclamatione redd.dit & werpiuit: & nobis ecclesiæ donum S.* DAGOBERTO *super altare restituentibus, ipse spontaneus interfuit & laudauit. ... Signum Godefridi, Dei gratiâ Ducis & Marchionis. S. Amalrici. S. Simonis fratris sui. S. VValteri. S. Ottonis ... Acta Bullioni anno Domin. Incar.* CIↃXCIII *Indict.* I, *anno regni Henrici quarti* XXXVII, *Imperij* X. *Pontificante Domno Filberto Treuirorum Episcopo anno Pontificatus sui* X.

In alio eiusdem Godefridi diplomate hæc leguntur:

Ego & frater meus Balduinus notum facimus omnibus, quòd ecclesia apud Sathanacum olim villam, nunc castellum, in honore S. DAGOBERTI MARTYRIS *constructa temporibus priscis, ab auo nostro Duce Godefrido Barbato & Beatrice coniuge suâ, S. Gorgonio Gòrzienſi & Henrico ipsius loci*

ci Abbati & monachis ipsius, cùm omnibus appendiciis suis donata, & ab eius filio Godefrido similiter Duce nostróque auunculo totâ vitâ suâ laudata est ... Quapropter .. ego Godefridus Dux & frater meus Baldwinus ... vt Fratres prædicto loco deseruientes, pacificè illud & absque cuiusquam inquietudine teneant, per manus liberorum fideiussorum super altare S. Gorgonij donum ipsum poni, & vestiturâ legali confirmari effecimus, scilicet ecclesiam S. DAGOBERTI *cùm domo, quæ vulgò Cella vocatur, & cùm omnibus appendiciis, simulque ecclesiam de Mosaco cùm omnibus vtilitatibus suis, & omnibus quæ prædictus auus meus superaddidit donationibus prælibatis. Vt autem hæc nostra statuta rata & inconuulsa maneant, hanc memorialem descriptionem fieri iussimus, & sigilli nostri impressione, testiumque idoneorum affixione signauimus. Signum Godefridi Ducis, qui hanc chartam describi fecit. S. Balduini fratris sui ... Actum Sathanaci anno Dominicæ Incarnationis* CIOXCVI, *Indictione* IV.

Eodem adhuc anno, XV Augusti Godefridus Bullonius iter in Terram sanctam aggressus est. En tria diplomata seculo XI signata, in quibus septies nomen S. DAGOBERTI repetitur, tertiò MARTYRIS laude decoratur, nusquam Regio nomine aut stirpe nobilitatur. Dicitur *ecclesia in eius honore priscis temporibus constructa*: ergo ducentis fortasse vel trecentis annis elapsis.

VIII S. DA-

VIII

S. DAGOBERTVS, *Rex Francorum habitus, an filius S. Sigeberti? an* DAGOBERTVS I?

GOrgonius Martyr Patronus Gorzienſis monaſterij colitur IX Septembris: ad diem proximè ſequentem hæc traduntur in Calendario Breuiarij Treuirenſis MS. IV *Idus Septemb.* DAGOBERTI *Regis Martyris Frãciæ.* At XXIII Decembris celebrior S. DAGOBERTI memoria eſt: quo die in ſeptem codicibus MSS. Vſuardi, ſed ad vſum Eccleſiarum Belgicarum auctis, iſta legimus: *Eodem die* DAGOBERTI, *Regis Francorum.* quæ eadem habent Mauroly cus, Martyrologium Coloniæ anno CIↃCCCCXC cuſum, & Molanus in Auctario Vſuardi. Hermannus Greuen in ſuis additionibus adſcribit *Confeſſoris* titulum, Ferrarius in Catalogo Sanct. *Treuiris*, inquit, S. DAGOBERTI *Regis, patris* S. IRMINÆ *Virginis, primæ Abbatiſſæ Horreenſis.* Refertur hæc eodem die in quodam Codice MS. aſt in Martyrologio Romano aliiſque poſtridie, ſeu XXIV Decemb. Fuiſſe S. Irminam filiam DAGOBERTI II, Regis Auſtraſiorum, ſuprà probauimus. De eodem agit idem Ferrarius XXIX Ianuarij: *Metis* S. DAGOBERTI *Regis*, idque vti annotat, *ex Kalendario Eccleſiæ Metenſis.* In quâ vrbe vti & Treuirenſi DAGOBERTVS vixit: ac Metis mortuus ſepultuſque eſt S. Sigebertus, Rex etiam Auſtraſiorum, & huius DAGOBERTI pater. De morte DAGOBERTI ſuprà egimus, & ex loco ſepulturæ apud Rotomagenſes in regno Neuſtriæ, in bello quod cùm Rege Theoderico & Ebroino Maiore-Domus coactus geſſit, captum, læſum occiſumúe

occisumúe coniectauimus. At factâ apud eosdem Rotomagenses inquisitione, didicimus, omnino certum haberi, DAGOBERTVM illic in S. Audoëni, aliàs S. Petri, basilicâ tumulatum fuisse; sed nesciri quando, quomodò, quorsumúe de illo loco translatum sit Regis istius corpus. Quod variis occasionibus fieri potuit, aut inter pacis conditiones Optimatibus Austrasiæ corpus sui Regis repetẽtibus, quorum aliquis ex suo affectu sepulturam illius Sathanaci concedi impetrârit; aut aliquo Francorum Rege, vt Austrasiis gratificaretur, vltro offerente, aut etiam, vt transferretur Sathanacum vsque, procurante: maximè si illic antè captus, læsus, aut per iniuriam interemptus fuerit. Potuit etiam sepulchrũ eius posteà tantâ virtute miraculorum claresce re, vt cultus sacer eiusdem Canonicâ auctoritate fuerit sancitus. Potuit denique controuersum fuisse, quâ potissimùm veneratione honorari posset: num cum S. Leodegario Episcopo aut S. Ragneberto Duce, aliisque vi atque tyrannide Ebroini oppressis atque occisis, esset Martyribus annumerandus: nam etiam hos nouos & quasi alterius generis Martyres temporibus Christianorum effectos scribunt auctor Vitæ S. Leodegarij aliique. Hinc aliqui forsan *Natalem* DAGOBERTI Regis solùm indicant, quem alij *Confessorem*, alij *Martyrem* prædicant, etiam ab aliquibus omissâ regiâ dignitate, quòd expulsum plures scirent, non autem ad regnũ Austrasiorum reuocatum. Quâ de caussâ vti reliqua eius Acta, aut DAGOBERTO primo, aut DAGOBERTO vltimo passim leguntur attributa; ita hæc eius veneratio ad alterutrum existimari potest, promiscuè translata.

Ac de DAGOBERTO primo, in Florario MS. ista referuntur ad XXIII Decembris: *Eodem die Depositio S. Dagoberti Regis Francorum, inclytâ de stirpe Karolidarum propagati. Qui opti-*

mè regalia sceptra gubernans, Ecclesiarum & Sacerdotum atque pauperum seu peregrinorum ditator supra modum largissimus extitit. Hic iustitiæ amorem est complexus, eò quòd Pippini Maioris-Domus & Brabantiæ Ducis consilio inniteretur: ac vniuersarum gentium sibi subditarum adeò fauoribus extollebatur, vt nullus de præcedentibus Francorum Regibus *illius laudibus fuisset præexcellentior. Postquàm ergo* DAGOBERTVS *annis quatuordecim optimè gubernasset, dormiuit in pace anno salutis* IↃCXLV. *De quo per visionem cuidam reuelatum est, quòd anima eius ad iudicium Dei rapta sit, & multis contra eam pro expoliatione ecclesiarum suarum declamantibus, cùm eam iam mali angeli vellent ad pœnas inferni rapere, interuentu sancti Martyris Parisiensis Dionysij, cui ipse maximè deuotus fuerat, liberata est.* Ita Florarium seculo decimo sexto conscriptum. Idem Rex DAGOBERTVS refertur in Martyrologio Germanico Canisij anno CIↃIↃXCIX edito: quem ad eumdem diem Piis adnumerat Sausaius in Martyrol. Gall. *In Austrasiâ*, inquit, *colitur hodie beata memoria* DAGOBERTI *Francorum Regis Christianissimi, in villâ Spinogillo ad Sequanam* XIX *Ianuarij defuncti, atque post mortem è manibus dæmonum per Sanctos erepti, quorum ipse præcipuè ecclesias ornauerat,* &c. Et XIX Ianuarij hæc habet: *Obiit piæ memoriæ* DAGOBERTVS *Rex Christianissimus, cuius animam precibus S. Dionysij ereptam extremo è discrimine & in cælum euectam vidit Ioannes sanctissimus anachoreta.* Hæc ille. Sed qui *in Austrasiâ colitur*, Austrasiorum potiùs fuisse Rex censendus, cùm è viuis excesserit, cuius & apud Austrasios corpus adseruatur. Atque ipse Sausaius suprà ad XXIII Decemb. scribit DAGOBERTVM I *sepultum fuisse in ecclesiâ S. Dionysij in Frãciâ, quam ex voto magnificè extruxerat.* Testatur Dubletius lib. 4 Antiquitatum monasterij S. Dionysij cap. 1, corpus DAGOBERTI istius ad dexterum latus maioris altaris ab initio collocatum,

tum, modò sub ipso altari situm esse, in eâque ecclesiâ XIV Kalendas Februarij anniuersarias pro eo preces hodieque celebrari.

IX

S. DAGOBERTVS, *an filius Childeberti Regis? An Dux aliquis Francorum?*

ALij contrà DAGOBERTVM vltimum filium Childeberti eum esse putant, quem Sathanacenses Martyrum honoribus celebrant. De quo Theodericus monachus Epternacensis, quem ferunt anno CIↃCXCII res gestas Regum atque Imperatorum collegisse, ita scribit: *Anno verò* IↃCCXV DAGOBERTVS *Rex anno* V *regni sui in Cortiâ siluâ occisus, Sataniaco sepultus est.* Eodem, quo Theodericus, seculo floruit Albericus Trium-Fontium monachus, cuius in Chronico ista narrantur ad annum IↃCCXIV: *Mortuo Childeberto Francorum Rege, post annos* XVII, *& in abbatiâ S. Stephani de Cauciaco sepulto, quidam filius eius Chlodoueus, qui &* DAGOBERTVS, *regnat annis* IV. Anno deinde IↃCCXIX: DAGOBERTVS *Iunior Francorum Rex à quodam filiolo suo in siluâ martyrizatus, iacet apud Sathanagium.* Edidit hæc duo testimonia Alexander Wilthemius in eruditissimo Commentario ad Acta S. DAGOBERTI Regis Francorum & Martyris.

Videntur Acta illa seculo Christi XII, & à Gorziensi forsan quopiam monacho ad suos Sathanaci degentes, scripta. Nam in Prologo ait se *à Fraternitate Satanagensi flagitante rogitatum, aggredi arduum opus de glorioso Regis* DAGOBERTI *actibus.... quia, vt S. Benedictus ait, Obedientia quæ maioribus*

præbetur, Deo exhibetur. Prætereà obſeruat Wilthemius in Appendice pag. 80, *ex quo ſub Brunone Treuirorum Archiepiſcopo,* (qui ſedit ab anno CIↃCII ad annum CIↃCXXIV) *Sathanaci pro Canonicis locati ſunt Gorzienſes cœnobitæ, hos paræciis Sathanacenſi & Moſacenſi vicarios Presbyteros Curatores dediſſe, eiſq; ſtipendium & vectigalia conſtituiſſe: ſed exinde ſupergredientibus Presbyteris ſtipendij vectigaliumq; decretorum modum, Brunonem Archiepiſcopum, re ad ſe delatâ, denuò intra modum Presbyteros factis tabulis coërcuiſſe.* ac dein *anno* CIↃCLVIII *Hillinum Treuirorum Archiepiſcopum Iſembaldo Gorzienſi Abbati firmauiſſe Sathanacenſem cellam, & quid Paſtor Sathanacenſis, quid Moſacenſis, quid cella Sathanacenſis inuicem iuris haberent, ſanxiſſe, atque etiam paræciam ad Balim vicum, aſſenſu Brunonis eius regionis Archidiaconi,* D DAGOBERTO *donauiſſe, conditis tabulis Auguſtæ Treuirorum.* Hæc ibi: è quibus conſtitutæ in cellâ Sathanacenſi fraternitatis monachorum Gorzienſium tempus penitùs eruitur, quando illorum rogatu Acta S. DAGOBERTI arbitramur non tam ſcripta, quàm abſque iudicio temerè congeſta. Nec mirum: præfatur namque auctor ſe *actus* illius *nequaquàm alicubi ſcriptos nactum eſſe,* imò *eos à memoriâ hominum viuentium penitùs receſſiſſe.* Non ideò tamen comminiſci quæ ſcriberet, ei licebat. Quid ſuſpicari fas ſit, inde iudicium eſto.

Natus traditur DAGOBERTVS, *regnante auo Theoderico, diebus quoque germanorum ſuorum Lotharij & Hilderici*, quaſi hi tres fratres ſimul regnaſſent. Mortuus eſt Chlotharius anno IↃCLXXV, vel IↃCLXXVI, Childericus IↃCLXXIX, cui ſucceſſit Theodericus, vitâ functus an. IↃCXCIV, relictis, vt ſuprà demonſtratum, duobus filiis paruulis, Chlodoueo III, & Childeberto, qui fratri an. IↃCXCVIII ſucceſſit, admodùm adhuc adoleſcens infraque pubertatem, vt neceſſe ſit DA-

GOBER-

GOBERTVM non ipso regni initio fuisse natum. Neque verò Childebertus filium DAGOBERTVM S. Bathildi auiæ suæ, iam pridem tempore Theoderici Regis mortuæ, commendauit in Calâ monasterio moribus piis instituendum, neque sedecim annos regnauit Childebertus, sed solùm tredecim. Dein DAGOBERTVS Remis apud Austrasios in Regem sublimatus traditur, & quidem *benedictionem adeptus regiæ dignitatis ab Archipræsule Sedis Remensium, nomine Landone.* Sed qui isti Ecclesiæ præfuerat tempore S. Sigeberti Regis Austrasiorum, quo tum mortuo eam rexerunt SS. Niuardus, Reolus, & Rigobertus, à Carolo Martello, post obtentam de Chilperico DAGOBERTI successore & Raganfrido, Vinciaci in pago Cameracensi, anno IↃCCXVII mense Martio, victoriam, in exilium pulsus, vti narratur in eius Vitâ IV Ianuarij cap. 4. Imò à DAGOBERTO obtinuisse S. Rigobertum priuilegium immunitatis suprà diximus.

Sed pergit auctor quo cœpit pede: ac Synodum ait à DAGOBERTO Rotomagi coactam esse, in eâ resedisse Regem, cum Pontificibus, Comitibus ac Palatinis suis: adfuisse Hugonem, filium Drogonis, Abbatem Fontanellensem, repetiisse Floriacum monasterium ab auo Pippino ædificatũ, & Fontanellensi cœnobio, confirmante Childeberto Rege, subiectum; sed nuper ab Hilderico Maiore-Domus iniustè ablatum. Diximus suprà, monasterium illud à Pippino & Plectrude extructum esse, eique datum Rectorem Bainum Abbatem Fontanellensem. Huic Baino successit Benignus, & præfuit toto eo tempore quo DAGOBERTVS regnauit, vti priuilegia donationum suprà relata clarè conuincunt: inter quæ vnicum est ipsius Hugonis, aliud Regis DAGOBERTI anno V regni mense Iunio signatum. Deiecto autem de regimine monasterij Benigno, Wando monachus, filius Baldrici

drici ſubrogatur : quo poſteà Traiectum in exilium iuſſu Caroli Martelli victoris ablegato, reſtitutus Benignus, præfuit ad an. IↃCCXXIII, mortuus menſe Ianuario, *celebratâ euindicatione villæ Monticelli anno* III *Theoderici Regis* XIV *Kalend. Auguſti, Tulpiaco caſtro.* Huic Benigno tandem ſubrogatus *Hugo*, rexit monaſterium Fontanellenſe *annis* IX, *menſibus* II, *diebus* XIII, ac ſanctè deceſſit VI *Idus Aprilis anni* IↃCCXXX. Hinc alij diiudicēt de Hilderico Maiore-Domus, & illuſtri eo Concilio apud Rotomagenſes habito, quorum nulli antiquiores ſcriptores meminêre. De Synodo Rotomagenſi ſub Theoderico Rege auo huius DAGOBERTI ab S. Ansberto Epiſcopo Rotomagenſi collectâ agemus infrà.

Proſequitur auctor acta DAGOBERTI, quem ait à S. Willibrordo in Friſiam euocatum, cum Duce Carolo Martello, & magno Francorum exercitu eò veniſſe, Radbodum in Daniam vſque expuliſſe, & S. Willibrordum in Sede Pontificatus relocaſſe. Neque hæc credibilia: nam DAGOBERTVS anno V regni, Chriſti IↃCCXV, V Iduum Iuniarum, die Dominicâ, vti ſuprà demonſtrauimus, habebat adhuc Theodaldum, ſiue Theobaldum, filium Grimoaldi, aulę ſuæ Prę-fectum, ſeu Maiorem-Domus: quem deinde amotum reliquoſque Auſtraſios bello perſecutus, prælio conflixit in Cociâ ſiluâ: aſſumpſit Raganfridum Maiorem-Domus, fœdus iniit cum Radbodo Duce Friſiorum contra Carolum Martellum tum Auſtraſiorum Ducem factum, & eodem anno obiit. DAGOBERTI ſucceſſor Chilpericus anno ſequente IↃCCXVI cum Raganfrido, ſuppetias ferente Radbodo, in Colonienſem agrum perrexit, ac cladem intulit Carolo Duci, ab eo in reditu maiorem paſſus. Hinc occaſio arrepta adſcribendi iter Colonienſe DAGOBERTO.

Cuius

Cuius martyrium persuasurus auctor, fingit venationem DAGOBERTI apud Austrasios in siluâ Scorciâ siue Scoriâ, eiusque illic dormientis somnium, quod S. Gunthramno alij adscribunt.

Et hæc de Vitâ DAGOBERTI ibi relatâ. Eius martyrium subnectitur, aliquātò accuratiùs descriptū in Martyrologio MS. Adonis, quod auctum extat, in monasterio S. Laurentij iuxta Leodium: vbi hæc legūtur ad XXIII Decemb. *Eodem die passio S.* DAGOBERTI *Regis Francorum, qui quadam die pergens venatum in saltu Vuaurensi, plenus Spiritu sancto, in loco qui dicitur Scortias, tribus millibus distante à fisco Sataniaco, in quo ipse morabatur, à filiolo suo, nomine Ioanne, decimo Kalend. Ianuar. martyrizatus est, & ab Angelis deportatus est ad societatem sanctorum Martyrum.* Hæc ibi, in quibus nonnulla sunt ab auctore Vitæ S. DAGOBERTI non animaduersa: DAGOBERTVM illum morari solitum Sathanaci: Scortias tribus millibus à Sathanacensi fisco distare: nomen filioli fuisse *Ioannem*. Ædificatum est illud S. Laurentij iuxta Leodium vrbem monasterium à Reginardo Episcopo Leodiensi circa annum CIↃXXVI; in quo eodem XI & sequenti XII seculo litterarum studia admodùm floruerunt. Ibi dicitur prima ara erecta ad honorem S. Thomæ Cantuariensis ab Euerlino X Abbate, qui post annum CIↃCLXX, quo ille martyrij palmam est adeptus, vixisse traditur ad annum CIↃCXCII. Huius interim martyrium recentiori manu memorato Martyrologio inscriptum erat, vt saltem ante illud tempus videatur collectum, & antiquiore etiam manu hinc inde auctum.

Hæc ferè de S. DAGOBERTO occurrêre, de re totâ aliorum esto iudicium. In diplomatis Ducum Godefridi Barbati

Barbati & Godefridi Bullonij suprà relatis, nulla regiæ dignitatis mentio est, & in fisco Sathanacensi eum morari solitum iam diximus, vt videatur Dux aliquis Francorum fuisse, & forsitan è regio sanguine prognatus.

LIBER

LIBER IV.

Galliarum Episcopi, & Concilia, DAGOBERTORVM Regum temporibus.

PRæcipua temporibus iis, quibus Francis imperitauêre DAGOBERTI, felicitas Galliarum fuit, ab Episcoporum, sanctitate & sapientiâ clarissimorum, copiâ. DAGOBERTVS I ad pietatem & Christianas regendi artes â primâ ætate informatus ab Episcopis est: quorum quamdiu consiliis monitisque obtemperauit, ceteris Regibus longè gloriâ antecelluit. Ex ipsiusmet palatio multi prodiêre Episcopi, qui religiosâ disciplinâ potiùs, quàm aulicis ministeriis, eruditi videbantur. Ad secundum quoque DAGOBERTVM multi confluxêre sanctissimi Episcopi, non ex Hiberniâ solùm, vbi exulârat, sed ex variis Galliarum oris, illecti fortasse quidam ipsius regali munificentiâ, ab ipso nonnulli accersiti. Nec defuêre etiam iunioris DAGOBERTI ætate, Apostolico fidei zelo inflammati, ceterisque sanctimoniæ ornamentis conspi-

cui Episcopi. Quorumdam ex his facta anteà mentio est; sed tempora, quibus sacros Ecclesiarum thronos insedêre, minùs rectè ordinata alibi sunt. Neque Conciliorum, quæ sunt ab iis celebrata, satis accurata ratio extat. Fuerunt ea, ob ciuilia identidem exorientia bella, vtcumque infrequentia, (nisi quorumdam sint acta memoriaque abolita) tamen illa quoque ad eorumdem Regum illustrandam memoriam perquàm accommodata. Horum ergo Conciliorum, & quorumdam Episcoporum (non omnium, sed qui eâ tempestate clarissimi fuêre) seorsim hîc asserenda tempora, successionumque series est.

I

Concilium Parisiense anno IↃCXIV. *Remense* IↃCXXIV. *Episcopi Vesontionenses, Bituricenses, Cadurcenses, Pictauenses, Lingonenses, aliq. Sedes Elusana translata.*

QVæ de variis Episcopatibus Galliæ, Episcoporumque Conciliis, præcipuè eorum ætate Regum habitis, quorum Chronologiam, genus, acta illustrauimus, sparsim fuissent sæpius repetenda, nec nisi perincommodè suis ponderari momentis seorsim potuissent; consultò in hunc locum sepo-

suimus

sumus ad clariorem lucem seiuncto ab superioribus tractatu expensuri.

Incipimus à Concilio Remensi sub S. Sonnatio Episcopo, in quo tertius hic est Canon: *Vt capitula Canonum Parisiis acta, in generali Synodo, in basilicâ S. Petri, Chlotharij Regis studio congregatâ, omni firmitate custodiantur.* Vtinam hæc Parisiensis Synodus integra & lacunis expletis repræsentaretur! Eam edidit Sirmondus, sed *vnicum* se *eius exemplar, situ & carie multis locis exesum vel corruptum*, fatetur reperisse. *Septuaginta nouem adfuisse Episcopos ex veteri quadam Collectione* tradit, quot in nullo Concilio sub Regibus Francorum primæ stirpis fuisse memorantur. Sed nec vnius quidem Episcopi nomen indicatur, subscriptionibus omnibus hactenùs oblitteratis. Tempus Synodi huius Parisiis habitæ in titulo, & in Edicti Regij subscriptione, adnotatur, *dies* XV *Kalendas Nouembris, annus regni Chlotharij* XXXI, id est, Christi IↃCXIV, quando post Theodeberti & Theoderici mortem, vniuersum Francorum imperium erat adeptus.

Flodoardus lib. 2 Historiarum Eccl. Remensis cap. 5 agit de Concilio sub Sonnatio habito, & nomina Episcoporum, qui ei Concilio interfuerunt, exactè recenset, his verbis: *Romulfum in Episcopatu Remensi secutus est Sonnatius, qui Synodum celebrasse reperitur cum aliis quadraginta, vel eò amplius Galliarum Episcopis: vbi etiam S. Arnulfus Metensium Præsul inuenitur interfuisse, cùm Theodorico Lugdunensi, Sindulfo Viennensi, Sulpitio Bituricensi, Modegisilo Turonensi, Senoco Elosanensi, Leontio Santonensi, Modoaldo Treuirensi, Cuneberto Colonensi, Richerio Senonensi, Donato Vesontionensi, Auspicio Augustodunensi, item Modoaldo Lingonensi, Ragneberto Baiocensi, Childoaldo Abrincatensi, Bertegisilo Carnotensi, Palladio Autissiodorensi, Gundoaldo Meldensi, Leudeberto Parisiacensi, Chainoaldo Laudu-*

ni Clauati, Godone Virdunensi, Anserico Suessionensi, Claudio Reiensi, Bertoaldo Cameracensi, Agomaro Siluanectensi, Cæsario Aruernensi, Vero Ruthenensi, Agricolâ Gabalensi, Lupoaldo Moguntiacensi, VVillegiselo Tolosano, Constantio Albiensi, Namatio Ecolesmensi, Rustico Caturcensi, Auderico Auscensi, Emmone Aretetensi, Felice Catalaunensi, Hadoindo Cenomanensi, Magnebodo Andegauensi, Ioanne Pictauensi, Leobardo Namnetico. En XLI Episcopi cum suis Sedibus accuratè expressi, qui simul eidem Synodo interfuerunt, cuius annum hîc inquirimus, hactenùs perperàm ab aliis obseruatum. Claudius Robertus in Galliâ Christianâ tamquàm anno IↃCXXXIV habitam sæpe allegat.

Ioannes Iacobus Chiffletius v. CL. par. 2 Vesontionis Archiepiscopos Vesontionenses enumerat: è quibus à seculo Christi septimo sequentes, iique omnes Sanctis adscripti, hoc tradũtur ordine sedisse: *Nicetius, Protadius, Claudius, Donatus, Migetius, Ternatius, Geruasius.* Vitam S. Nicetij damus VIII Februarij à pag. 168, Protadij x eiusdem mensis à pag. 412, de reliquis alibi acturi. Synodo huic Remensi interfuit S. Donatus XXV Episcopus secundùm catalogum Chiffletij, qui de eo agens asserit, *Synodum Remensem non potuisse celebrari ante annum* IↃCXXXII, *cùm adhuc S. Claudius, nondum autẽ S. Donatus Vesontione sedebat.* Ipsum autem *S. Claudiũ* dixerat antè, electũ anno IↃCXXVI, *pertæsum deinde Archiepiscopalis curiæ, & priuatæ vitæ studio ductum, anno* VI *sui Episcopatus, Christi* IↃCXXXII *aut* IↃCXXXIII *ad S. Eugendi monasterium se recepisse:* quod nunc ab eo S. Claudij appellatur. Ferdinandus à Ryâ Archiepiscopus Bisuntinus in epistolâ ad Clerum suum anno CIↃIↃLXXXIX scriptâ, & vnà cum Breuiario excusâ, præfatur se in eo edendo, *vsum operâ industriâque piissimorum, simulq; doctissimorum virorum, adhibitisq; Sanctorum veris historiis.* Inl oc

Breui-

Breuiario ad VI Iunij ita incipit Lectio IV ad Matutinum: *Claudius de Salinensium Principum Palatinorum gente, liberalibus artibus & litteris sacris atque Ecclesiasticis apprimè instructus, circa annum Christi sexcentesimum trigesimum sextus à Nicetio præfuit Ecclesiæ Bisuntinæ.* Addit Chiffletius & *primum à Geruasio locum obtinuisse, ex pleriſque catalogis haberi.* Addo & consequenter quartum fuisse à Donato, quem illis annis, quos Chiffletius S. Claudio attribuit, sedisse mox constabit ex Synodo Remensi, cui interfuit, superstes tempore Chlodouei II, cuius anno V, Christi IↃCXLVIII, subscripsit exemptioni monasterij Fossatensis, adfuitque Concilio Cabilonensi sub eodem Rege habito. A posteris insertos annos Christi, vt alibi sæpius monuimus, non admittimus.

Seuerinus Binius, in Conciliis anno CIↃIↃCXVIII editis, statuit hoc *Concilium Remense circa an.* IↃCXXX *tempore Honorij Papæ celebratum, indicari tempus præsentiâ Arnulphi, Sulpitij, Cuniberti & Modoaldi Episcoporum.* Sed hi simul pluribus annis Episcopi fuerunt. Sirmondus, in Notis fatetur, *de anno Concilij nihil liquere.* Refert tamen *ad annum* DAGOBERTI II, *Christi* IↃCXXX. Sirmondum sequuntur Miræus in Chronico Belgico, Labbeus in Synopsi historicâ Conciliorum Galliæ, aliique. Rationem dant Sirmondus & Labbeus, quòd *Rusticus Episcopus Cadurcensis, quem septem tantùm annis præfuisse arbitrantur, successorem habuerit S. Desiderium* fratrem *anno* VII *eiusdem* DAGOBERTI, *Christi* IↃCXXXV. Verùm dubius Sirmondus hæc addit: *Quòd si de annis* DAGOBERTI *sermo sit, quibus ante patris obitum in Austrasiâ regnabat, citerior aliquantò Christi annus huic Synodo conueniet.* Est hic Desiderius, cuius epistolæ ad DAGOBERTVM & Sigebertum Reges, varios Episcopos virosque illustres, extant: cuius Vitæ XV Nouemb. dandæ duo nacti exemplaria sumus, alterum Tolosâ à Petro Possi-

no nostro transmissum, alterum à R. P. Francisco Boulartio Parisiis ad S. Genouefam Canonico Regulari & Reuerendissimi Generalis Canonicorum Regularium Assistente cõmunicatum. Labbeus in Miscellaneis Curiosis cap. 3 § 6 partem illius Vitæ edidit, atque in eâ Regis DAGOBERTI de eo ad Episcopatum promouendo duo diplomata, alterum Episcopis & Ducibus missum, alterum S. Sulpitio Pio Archiepiscopo Bituricensi; à quo petit, *vt in sanctâ Paschali solennitate Desiderius debeat Pontificali benedictione esse consecratus.* Signatur diploma *sub die Idus Aprilis anno* VIII DAGOBERTI, Christi IↃCXXXV, quando superant adhuc Cadurcenses Chariberto fratri, anno IX regni DAGOBERTI mortuo. Præterea anno Chr. IↃCXXXV, Cyclo Lunæ IX, Solis XXVIII, litterâ Dominicali A, Pascha celebratum est IX Aprilis, & anno proximè sequenti, Cyclo Lunæ X, Solis I, litteris Dominicalibus G F, Pascha incidit in XXXI Martij, & sic Idus Aprilis neutro anno ante Pascha occurrerũt, priore incidêre in Feriã quintam post Pascha, posteriore in Sabbatum post Octauam Paschæ, quæ Dominica in Albis dicitur. Ast anno Christi IↃCXXXVII, DAGOBERTI X, Cyclo Lunæ XI, Solis II, litterâ Dominicali E, Pascha fuit XX Aprilis, & Idibus Aprilis Dominica Palmarum, quâ illa priuilegia seu diplomata fuisse signata, persuadent eadem S. Desiderij Acta, in quibus legimus *Regẽ* DAGOBERTVM XVI *anno regni sui obiisse & sceptra regni duobus filiis* Chlodoueo *&* Sigeberto *reliquisse, ac* Chlodoueum *quidem regnum Francorum, Sigebertum autem* Austrasiorum *gubernasse:* hisce Austrasiis tunc accesserunt Cadurci cum vicinâ Aquitaniæ I parte. *Huius Sigeberti* XVII *regni* apud Cadurcenses *anno, Episcopatus autem sui* XXIII *sub die* XIII *Kalendarum Decembrium vltimum spiritum exhalauit Desiderius*: qui fuit annus Chr. IↃCLX, quando XXIII annos in Episcopatu complerat.

complerat. Hæc de S. Desiderio, cuius Acta calculumannorum non omnino exactum habent; eiusque fratri Rustico potiùs septemdecim, quàm septem annos esse attribuendos ex dicendis constat.

At Concilium illud Remense habitum esse sub Chlothario parente DAGOBERTI, hæc probant: primò *Ioanni Pictauensi Episcopo*, qui huic Synodo adfuit, mortuo successit *Dido*, cui *Pictauensis vrbis Præsuli à Chlothario Rege litterarum studiis imbuendus S. Leodegarius in primis ætatis initiis traditus est*: vt in huius Vitâ scribit Vrsinus, *Pictauorum Pontifici Ansoaldo*, Didonis successori, inscriptâ. De Didone, qui vltra quinquaginta annos eam Ecclesiam rexit, suprà egimus. Interfuit eidem Concilio Remensi Modoaldus Episcopus Lingonensis, cuius successor Bertoaldus in diplomate Chlotharij II pro monasterio S. Benigni memoratur, teste Claudio Roberto Lingonensi Presbytero in Galliâ Christianâ. Subscripsit idem Bertoaldus Concilio Cabilonẽsi sub Chlodoueo II. Adfuit eidem Concilio *Senocus Episcopus Elosanensis*, de quo ita scribit cap. 54 Fredegarius: *Anno* XLIII *regni Chlotharij*, Christi IↃCXXVI, *Palladius eiusq; filius Senocus, Episcopus Elosanus, incusante Aighinane Duce, quòd rebellionis VVasconorum fuissent consciy, exilio retruduntur.* Erat *ciuitas Elusatium metropolis Nouempopulaniæ*, vt in Notitiâ prouinciarum & ciuitatum Galliæ, temporibus Honorij Augusti conditâ, traditur, & confirmatur in Capitulatione de Nominibus regionum Galliæ tomo I Chesnæi editâ. Quæ dignitas Elosanis ablata est, atque ad vicinam Ausciorum ciuitatem translata, Senoco, quantùm colligimus, in exilium pulso. Neque enim deinceps vlla reperitur Episcopatus Elusani mentio: cuius Episcopi, qui ante Senocum sederunt, plures referuntur in Historiâ Gregorij Turonensis, & præcipuis Conciliis

antè

antè in Galliâ habitis. De Sede Metropolitanâ Eluſatium, eiuſque tranſlatione diſputat Petrus de Marcâ lib. 1 Hiſtoriæ Bearniæ cap. 6 & cap. 25 de Senoci exilio: ante quod eius exilium Concilium illud Remis eſt habitum. Denique Flodoardus ſuâ narratione ſatis innuit illud ante tempora DAGOBERTI contigiſſe, dum caput ſequens ita exorditur: *Poſt hunc beatum virum* Sonnatiũ, *Leudegeſilus, Attilæ Epiſcopi frater, tempore* DAGOBERTI *Regis, Epiſcopium rexit.* Accepit DAGOBERTVS *Remos* poſt ductam Gomadrudem vxorem, *anno*, vt diximus, *Chlotharij* XLII, Chriſti IↃCXXV. quo eodem anno, tempore verno, aut potiùs præcedenti IↃCXXIV, Concilium arbitramur celebratum. Et quamuis *Sonnatius* ſederit tempore *Brunechildis Reginæ*, cùm quâ tradit Flodoardus *pro vtriuſque partis opportunitate* eum *quaſdam res commutaſſe*; tamen eũ ad an. IↃCXXIV vixiſſe tempus ſucceſſoris Leudegeſili indicat, ac perſuadet Sedes S. Sulpitij Pij Epiſcopi Bituricenſis, qui eidem interfuit Remenſi Concilio, S. Auſtregiſilo XX Maij anni IↃCXXIV vitâ functo creatus Epiſcopus. Habuerunt SS. Auſtregiſilus & Sulpitius Pius deceſſores in Epiſcopatu Bituricenſi SS. Sulpitium Seuerum, Euſtaſium, & Apollinarem, quorum primus mortuus eſt *anno Childeberti Regis* XVI, *& Gunthramni* XXX, ergo Chriſti IↃXCI, vt, qui tum temporis non procul inde viuebat, ſcribit Gregorius Turonenſis lib. 10 Hiſtoriæ Francorum, in quâ annis Regum cap. 24 propoſitis, hæc ſubdit cap. 26: *Obiit & Sulpitius Biturice vrbis Pontifex, cathedramq; eius Euſtaſius Auguſtidunenſis Diaconus eſt ſortitus*: vti XXIX Ianuarij, die eius natali, diximus. Ioannes Chenu Biturix, in Notitiâ Archiepiſcoporum & beneficiorum diœceſis Bituricenſis deſcribendâ diligens & accuratus, tradit S. Euſtaſium eam Eccleſiam annos XII rexiſſe, extremumque diem obiiſſe pridie Kalendas Ianuarij,

Ianuarij, anno secundùm calculum positum secundo & sexcentesimo ad finem dilapso. Huius successorem S. Apollinarem, probat idem Chenu annos IX sedisse, ac III, seu, vt alij volunt, II Nonas Octobris obiisse, ergo anno Christi IↃCXI, assignato vtrique tam Eustasio, quàm Apollinari vltimo anno imperfecto: vt citiùs non potuerit eligi ordinariqúe Episcopus S. Austregisilus, quàm sub dicti anni IↃCXI finem. In huius Vitâ auctor coæuus hæc scribit: *Mortuo Bituricensi Episcopo Apollinari suffectus est Austregisilus, quam functionem duodecim annis præclarè administrauit, quemadmodùm ab Angelo ei nocte illâ fuerat prædictum, cùm primos fines vrbis esset ingressus, & diluculo* narrauit *Sulpitio Diacono, qui posteà in Episcopatu ei successit,* XX Maij, anno IↃCXXIV vitâ functo. Hæc pluribus deduximus, quòd auctores alij in annis S. Austregisili assignandis valdè aberrent, & certus character Remensis Concilij inde etiam dependeat, cum multorum Episcopatuum Galliæ notitiâ.

II

Concilium Cabilonense circa an. IↃCL. *Episcopi Parisienses.*

PRæcipua Regibus Francorum, etiam primæ stirpis Merouingicæ, sedes fuit Lutetia, nobilior exinde facta: à cuius Episcoporum notitiâ, vtpote magis suis Regibus familiarium, clarius reliquis Episcopatibus affundi lumen oporteret. Sed, quod mirandum est, neque horum Episcoporum catalogi mendis carent, post Democharem nostrâ ętate Parisiis editi à Iacobo Brulio in Antiquitatum Parisien-

sium Theatro, Ioãne Chenu in Chronologicâ hiſtoriâ Epiſcoporum Galliæ, & Claudio Roberto in Galliâ Chriſtianâ. Poſt hos, fas fuerit etiam nobis in iis perſcrutandis operam ponere.

Epiſcopus XXVI ſtatuitur *Leudebertus*, quem Concilio Remenſi ſub S. Sonnatio anno IↃCXXIV habito, interfuiſſe ſuprà diximus. XXVII *Epiſcopus Audobertus*, quem & præcedentem potiùs vnum eumdemque cenſent aliqui apud Democharem. Hic S. Babolenum Foſſatenſi cœnobio primum præfecit Abbatem: tabulis *donationis* eiuſdem cœnobij *à Blidegiſillo Diacono factæ ſub die Nonarum Maiarum anno* III *Chlodouei* II, Chriſti IↃCXLVI, ſubſcripſit: ac *priuilegium immunitatis atque ab omni Epiſcoporum & Clericorum ſubiectione exemptionis* adiunxit. Quod *Chlodoueus Rex anno* V *regni*, Chriſti IↃCXLVIII, *die* XV *Maij, & quatuor Archiepiſcopi, videlicet Gaudericus Lugdunenſis, Annobertus Senonenſis, Preſtelandus Bituricenſis & Donatus Veſontionenſis, ſeptemq; Epiſcopi confirmarunt.* Quæ in Actis S. Baboleni ad XXVI Iunij exactiùs traduntur. Hic *Gaudericus*, aliis *Candericus*, *Archiepiſcopus Lugdunenſis*, præfuit *Concilio Cabilonenſi* ſub eodem *Rege Chlodoueo* habito: poſt quem ſubſcripſerunt *Landalenus Viennenſis*, *Audoënus Rotomagenſis*, *Armentarius Senonenſis*, *Vulfoledus Bituricenſis*, *Donatus Veſontionenſis*, *Rauracus Neuernenſis*, *Deodatus Matiſconenſis*, *Pappolus Genauenſis*, *Palladius Autiſiodorenſis*, *Ferreolus Auguſtodunenſis*, *Bertoaldus Lingonenſis*, *Audo Aurelianenſis*, *Malardus Carnotinus*, *Aurelianus Vencienſis*, *Baudomerus Tarantaſienſis*, *Protaſius Sedunenſis*, *Ingildus Valentinus*, *Clarus Gratianopolitanus*, *Gratus Cabilonenſis*, *Florentius Bellicenſis*, *Ætherius Ebredunenſis*, *Magnus .... Betto Tricaſtinenſis*, *Potentiſſimus Vappicenſis*, *Arricus Lauſanenſis*, *Claudius Regenſis*, *Licerius Vindauſcenſis*, *Petronius Vaſionenſis*, *Bertefredus Ambianenſis*, *Eligius*

Eligius Nouiomensis, Deocarius Antipolitanus, Leborius Mauria-nensis, Chairibonus Constantiensis, Amlacarius Sagensis, Launobo-nus Lexouiensis, Ragnericus Ebroicensis, Betto Iuliobonensis. & per suos vicarios *Latinus Turonensis, Salappius Namnetensis, Audo-bertus Parisiensis, Felix Lemouicensis, Chadoindus Cenomanensis, Durioterus Redonensis.* Addendus *Theodosius Arelatensis*, ad quem è Concilio missa est epistola, secundùm quam *Chlo-doueus Rex in suprascriptâ vrbe Cabilono* VIII *Kalendas Nouem-bris Synodale præcepit esse Concilium*, Episcoporum è regnis Neustriæ & Burgundiæ. Annum Chlodouei Regis excidis-se dolemus. Est is ex notitiâ quadraginta Episcoporum qui interfuerunt eruendus. *Magnus* fortè est *Magnebodus Ande-gauensis*, qui Concilio Remensi adfuit.

Ac primis Chlodouei annis non esse habitam eã Synodũ persuadẽt tũ SS. Audoënus & Eligius, tantũ III regni anno, Christi IↃCXLVI, die XIV Maij consecrati Episcopi, tũ Anno-bertus Senonensis & Prestelandus Bituricensis, qui exẽptio-nem Fossatensem confirmarunt XV Maij anno V Chlodouei, Christi IↃCXLVIII, à quorum altero si Vulfoledus Bituri-censis non censeatur diuersus, alius est Armentarius Seno-nensis, qui Synodo adfuit. Inter eos Episcopos, qui cum Audoberto Parisiensi per vicarios subscripserunt, est S. Hadoindus Cenomanensis, qui Synodo Remensi anno IↃC-XXIV interfuit, & anno V Chlodouei, Christi IↃCXLVIII, VIII Idus Februarij, iam senex, suum testamentum confecit, à nobis editum XX Ianuarij in Appendice pag. 1142. in quo licet se sanum corpore & mente, sanoque cõsilio vsum pro-fiteatur, videtur tamen ab illo tempore alium debuisse sub-stituere, nec multis annis superfuisse. Dum ergo certiorem temporis characterem licuerit obseruare, ad annum IↃCL cum Sirmondo referemus: neque seriùs habitum arbitra-

mur: multò minùs posse ad annum IↃCLX aut IↃCLXII aut ad tempora etiam Vitaliani Papæ differri, quod Baronius, Binius, aliique collectores Conciliorum, fecerunt. Neque Audobertus Episcopus Parisiensis post annum IↃCL videtur diu vixisse, cui à S. Audoëno dicatam Vitam S. Eligij post Baroniũ scripsit Claudius Robertus. Verùm is est Chrodobertus, de quo mox agemus, cui eam Vitam corrigendam approbandamúe misit Audoënus post annum IↃCLXXVI.

XXVIII *Episcopus Parisiensis S. Landericus* tempore Chlodouei II, qui in publicâ annonæ penuriâ, pauperes vt aleret, primùm priuatam supellectilem vendidit, dein & vasa sacra & Ecclesiastica confregit, posteà Xenodochium iis fouendis iuxta sanctæ Dei Genitricis ecclesiam ædificauit, censuque dotauit. Denique priuilegium immunitatis monasterio S. Dionysij indulsit *mense Iulio anno* XV *Chlodouei*, Christi IↃCL VIII, & anno sequente præcepto Regis, de libertate hac isti monasterio datâ subscripsit X *Kal. Iulij*, vt necessariò, quia dies X Iunij natali eius venerationi sacer est, ad annum IↃCLX vixisse videatur: quando verò obierit, ex tempore successoris constabit.

XXIX *Episcopus Parisiensis Chrodobertus, siue Robertus.* XXX *Sigobaudus.* XXXI *Importunus.* Ita Brulius, Chenu, Claudius Robertus. Verùm S. Landerico succeſſit, qui his autoribus est Episcopus.

XXXII *Agilbertus*, aliquibus *Aglebertus*, *Angilbertus*, *Ailbertus*, inscriptus Martyrologio Gallicano ad XI Octobris, cuius soror habetur *S. Teutlechildis*, siue *Telechildis*, prima monasterij Iotrensis Abbatissa, cui parẽtes S. Bertilam, primam dein Calensis monasterij Abbatissam, commendarunt, suadente id S. Audoëno, cuius frater Ado illud monasteriũ

ad

ad Matronam flumen extruxerat. Menardus lib. 1 Obseruationum ad x Octobris, quo colitur *S. Teutlechildis*, scribit ex veteribus monumentis monasterij Iotrensis, eã *illustri Francorum sanguine natam, patre Belfrido, Modæ S. Autharij vxoris germano, & matre Agiâ.* Fuisse *Adonem, Audoënum, & Radonem patre Authario*, sed *matre Agiâ* prognatos tradunt S. Audoëni Acta. Fuisse etiam *S. Lupi Senonensis, Austreni Aurelianensis, & Aunarij Autisiodorensis Episcoporum genitorem Bettonem, genitricem Austregildem, vocabulo Agam*, legitur Kalendis Septembris in Vitâ S. Lupi. An simili modo mater S. Audoëni *Moda cognomento Aga*, siue *Agia* fuit? Huius ergo consobrinus Agilbertus, ad prædicandum Euangelium ac conuertendos Anglos ac Saxones Britanniæ incolas Episcopus ordinatus, secessit in Hiberniam, in quâ, vti habet Beda lib. 3 cap. 7, *Pontifex quidam, Agilbertus nomine, natione Gallus, legendarum gratiâ Scripturarum non paruo tempore demoratus est*, vsque ad annum IↃCL, quo *Agilbertus*, vt Chronologus Anglo-Saxo cum Bedâ nuper excusus obseruat, *à Gallis oriundus, VVestsaxonum Episcopatu potitus est.* Tum namque (ita pergit Beda) *ex Hiberniâ venit in regnum Kenvvalck, coniunxitq; se Regi, spõte ministerium prædicandi assumens. Cuius eruditionem atque industriam videns Rex, rogauit eum, acceptâ ibi Sede Episcopali, suæ gentis manere Pontificem. Qui precibus eius annuens, multis annis eidem genti Sacerdotali iure præfuit. Tandem Rex, qui Saxonum linguam tantùm nouerat, pertæsus barbaræ loquelæ, subintroduxit in prouinciam alium suæ linguæ Episcopum.... Vnde offensus grauiter Agilbertus quòd hoc ipso inconsulto ageret Rex, rediit Galliam, & accepto Episcopatu Parisiacæ ciuitatis, ibidem senex & plenus dierum obiit.* Hæc Beda. Sed quòd is *multis annis* apud Kenwalchium egisse Agilbertum tradat, Chronologus Anglo-Saxo *decem* fuisse innuit, ita scribens ad *annum* IↃCLX: Hic

Agilbertus abiit à Kenvvalchio, & VVina Episcopatum eius per triennium accipiens tenuit: nec non Parisiorum Episcopatum in Galliis ad Sequanam flumen suscepit. At Beda lib. 3 cap. 25 & 26 ttadit Streneshalensi Synodo anno IↃCLXXIV interfuisse, & Catholicum Pascha contra Scotos defendisse.

Viuebat iam pridem in Nordhumbriâ suprà memoratus *S. VVilfridus, coniunctus*, vti ait Beda lib. 5 cap. 20 *amicitiis Alfredi Regis, ad* cuius *iussionem Presbyter ordinatus est ab* Agilberto *Episcopo Geuissorum*, id est Occidentalium Saxonum. *Quem non multò pòst, detectâ & eliminatâ Scotorum sectâ, Galliam mittens cum consilio atque consensu patris sui Osvvi, Episcopum sibi rogauit ordinari, eodem* Agilberto *tunc Episcopatum agente Parisiacæ ciuitatis, cum quo & alij* XI *Episcopi ad dedicationem Antistitis conuenientes, multùm honorificè ministerium impleuerunt.* Annum exprimunt IↃCLXIV Wigornienſis, Westmonasteriẽsis, aliique. Vitâ functus est Wilfridus anno IↃCCIX, postquàm consecratus est Episcopus, XLV. Prætereà eodem Bedâ teste lib. 4 cap. 1, *S. Theodorus ordinatus est Episcopus* Cantuarienſis *à Vitaliano Papâ anno Dominicæ Incarnationis* IↃCLXVIII, *sub die* VII *Kalendarum* Aprilium *Dominicâ*, scilicet cyclo Solis V, litteris Dominicalibus B A. Quo anno, VI *Kalendas Iunias Britanniam missus, ad* Agilbertum *Parisiorum Episcopum profectus est, & ab eo benignè susceptus, & multo tempore habitus.* Quamdiu posteà vixerit, nusquam legimus. E Bedâ suprà diximus, *senem & plenum dierum obiisse*: & quidem, vt Sauſſaius addit, *in monasterio Iotrensi*, vbi *in cryptâ ædiculæ S. Pauli Eremitæ, quam condiderat, sepultus, multis refulsit miraculis.*

XXX *Sigrobandus*, aliis *Sygobrandus, Sigebrannus, Sigobaudus*, qui in Vitâ priore S. Bathildis dicitur *Sigoberrandus*, in posteriore *Sigebrandus. Erat*, inquit auctor ille, *eius* Bathildis *sancta*

cta deuotio, vt in monasterio . . . conuersari deberet. Nam & Franci pro eius amore hoc maximè dilatabāt, nec fieri permittebant, nisi commotio illa fuisset per miserum Sigoberrandum Episcopum, cuius superbia inter Francos meruit mortis ruinam. Et exinde ortâ intentione, dum ipsum contra eius voluntatem interfecerunt, metuentes, ne hoc ipsa Domna contra eos grauiter ferret, ac vindicare ipsam caussam vellet, permiserunt eam subitò pergere ad ipsum monasterium. Annum nusquam legimus expressum. Maturâ pridem ætate fuisse tunc Chlotharium, suprà probauimus, & post annum IↃCLXX hanc cædem, & S. Bathildis ingressum in monasterium, contigisse. *De Importuno* qui Sigobrandi successor traditur, nihil constat.

Sequitur *Chrodobertus*, aliis *Hrodobertus*, & *Robertus*, cuius Sedis tempus suggerit *S. Audoënus*, dum ei *Vitam S. Eligij, nuper*, vt ait, *à se descriptam* mittit, *vt si quid minùs aptum deprehenderit, studiosè emendet.* Legitur ea epistola ad calcem Vitæ S. Eligij, cum responso Chrodoberti, quo Vitam à se lectam approbat. In eâ Vitâ scribit Audoënus, *Chlotharium* III *diem obiisse*, ac *duos superstites fratres reliquisse. De quibus quid futurum sit*, vult *solius Dei iudicio diffiniri.* Ex his Childericum sub ætatem anno IↃCLXXIX interemptum esse, quarto post obitum Chlotharij anno, ex supradictis constat: ante quem annum ea Vita scripta est, & *ad Chrodobertum*, siue *Robertum Parisiensem* missa. Erat horum Regum mater S. Bathildis, quam diximus in monasterio Kalensi adhuc regnante Theoderico Rege vixisse, mortuam post annũ Christi IↃCLXXXIV. Cuius Vitam, proximis post obitum eius annis scriptam, edidimus ex MS. S. Mariæ de Ripatorio ad XXVI Ianuarij: in quâ num. 7 dicitur *monasterium Corbegia ab eâ constructum, vbi venerabilis vir Domnus Teudofredus, nunc enim Episcopus, tunc verò Abbas, magno gregi Fratrum præfuit.* Illi verò in regimine monasterij

monasterij successisse diximus Chrodegarium, eique mortuo Erembertum, huiusque electionem Regem Theodericum confirmasse. In hac Vitâ de Chrodoberto hæc habentur: *Rex Chlodoueus vir eius migrauit à corpore, relictâque sobole filiorum cum matre, suscepit illicò post eum filius eius Chlotharius quondam Francorum regnum. Tunc etenim præcellentibus Principibus Chrodoberto Episcopo Parisiaco, & Domno Audoëno, seu & Ebroino Maiore-Domus, cùm reliquis Senioribus vel ceteris quàm pluribus, & regno quidem Francorum in pace consistenti. Tunc enim nuper & Austrasij, pacifico ordine, ordinante Domnâ Balthilde, per consilium quidem Seniorum receperunt Childericum filium eius Regem Austri.* Hæc auctor coæuus, quæ in alterâ Vitâ num. 5 magis expolita proferuntur, è quibus hæc spectant Chrodobertum: *Et suffragantibus præcellentissimis Principibus Chrodoberto Episcopo Parisiaco, & Domno Audoëno Rotomagensi, seu Ebroino Maiore-Domus, cum reliquis Senioribus, vel ceteris quàm plurimis regni honorem quærentibus, ad regimen Francorum in pace constituitur.* Hæc ibi. Stephanus Binettus in Vitâ S. Bathildis Gallico sermone editâ, cùm id esse dubium iudicaret, *Chrodobertum vel Agilbertum* scripsit. Verùm auctor coæuus videtur tantùm voluisse indicare inter *Principes Palatij* fuisse primò *Chrodobertum*, illum eumdem, qui, quo tempore ipse eam Vitam scribebat, *Episcopus* erat *Parisiensis*: dein *Domnum Audoënum*, nullâ conditione appositâ, diuturno Episcopatu omnibus notum: posteà *Ebroinum Maiorem-Domus*, qui ab eâ dignitate nuper expulsus, eamdem receperat. Fuit autem Chrodobertus Episcopus temporibus Childerici Regis Neustriæ & Theoderici fratris.

XXXIII *Episcopus Sigofridus*: de quo hactenùs nihil legimus.

XXXIV *Turnaldus*, seu *Turnoaldus*, ex *Abbate*, inquit Clau. Robertus, *Sidonysiano* XI. Qui potiùs relicto Episcopatu factus monachus

monachus ac dein Abbas. Nam in tabulis donationum *anno* II *regni, pridie Kal. Martias*, id est, anno Christi IↃCCXVII, *concedit Chilpericus Rex terras peculiares ad basileca S. Dionysij, vbi Domnus Turnoaldus Episcopus Custos præesse videtur.... ad integrum ipse Domnus Turnoaldus Episcopus ad ipsa sancta basileca Domni Dionysij Martyris habeat concessum.* Integrum diploma recitat Dubletius lib. 3 pag. 689, qui lib. 1 pag. 179 tradit eum fuisse Abbatem XII sub dicto Chilperico, eiusque successore Theoderico, ac posteà creatum Episcopum Parisiensem: quod minùs probamus, neque successores permittunt. potissimùm si *S. Cerannus*, seu *Ceraunus*, Turnoaldo successerit, vti collocatur in Catalogo MS. Episcoporum Parisiensium, ab eoque diuersus statuitur *Centunus* decessor Leudeberti. Fauent Brulius & Chenu, dum tradunt *S. Cerannum claruisse tempore* DAGOBERTI II *Francorum Regis anno salutis* IↃCCXVII. Inscriptus est Martyrologio Gallicano XXVII Septembris, at Breuiario Parisiensi postridie. Quâ difficultate tantisper sepositâ sequuntur

XXXV *Aldulphus*. XXXVI *Bernecharius*, solis nominibus noti. XXXVII *Hugo* filius Drogonis, quem suprà diximus Abbatem etiam Fontanellensem fuisse, ac sanctè mortuum VI Idus Aprilis anno IↃCCXXX, Indict. XIII. In cuius monasterij Chronico MS. dicitur *Archiepiscopus Ecclesiæ Rotomagensis, & Rector siue procurator vrbis Parisiacæ* XXXV *à B. Dionysio constitutus*: qui *præsulatum Ecclesiæ Parisiacæ, simulq; Baiocassinæ cum Rotomagensi tenuit, factione scilicet patris sui Caroli Principis, extra decreta tamen canonum.* Hæc ibi: quæ de Episcopatu Parisiensi dicta sufficiant.

III

Concilium Rotomagense an. IↃCXCII. *Archiepiscopi Lugdunenses & Rotomagenses. Primi Abbates Fontanellenses.*

ALia difficultas, quâ & chronologia nostra oppugnari, & quæ à nobis de DAGOBERTO II asserta sunt, fortasse non nemini euerti posse videantur, est in primis Abbatibus monasterij Fontanellensis diœceseos Rotomagensis, & inde ad Ecclesiarum gubernacula euocatis. Fundator fuit S. Wandregisilus: ei successit, non S. Genesius Archiepiscopus Lugdunensis, sed qui Genesio hac in dignitate substitutus posteà est, S. Lãtbertus. Hoc itidem ad Cathedram Lugdunensẽ euecto, factus est III Abbas S. Ansbertus. Hic dein ordinatus Archiepiscopus Rotomagensis, Synodũ conuocauit multorũ è Neustriâ & Austrasiâ Episcoporũ, Theoderici Regis auctoritate. Eam autumant Baronius, Binius, Sirmondus, Labbeus, aliique anno IↃCLXXXII esse habitam, quòd annum eum videatur Aigradus auctor coæuus in S. Ansberti vitâ statuere. Verùm ea Vita, vt IX Februarij, vbi totam damus, perspicere licet, à posteris est interpolata: vti & S. Wandregisili primi Abbatis ac fundatoris monasterij Fontanellensis.

Vitiatas esse Episcoporum Lugdunensium tabulas monet Sauaro in Notis ad Sidonij Apollinaris epistolam 15 libri 7. Qui seculo VII vixerunt, recenset Democharesrecto ordine, qui aliquot intrusis inuertitur apud Iacobum Seuertium, Ioannem Chenu & Claudium Robertum, alioſque.

Floruit

Floruit *Aridius* sub Theoderico Rege Burgundionum filio Childeberti, & quidem, vt tradit Fredegarius cap. 24, ab anno regni eius VIII, id est, Christi IↃCIII. Illum ait Aimoinus lib. 3 cap. 90 *successisse Secundino*: subscribit Democharis. Alij interponunt *Delphinum*, de quo infrà, & *Chagnoaldum*: sed hunc suprà diximus anno IↃCXXIV Concilio Remensi adfuisse Episcopum Lugduni Clauati, id est, Laudunensem sub Archiepiscopatu Remensi. Colitur is VI Septembris. Interfuit eidem Concilio Remensi successor Aridij *Theodericus*, aliis passim *Tetricus* dictus. Post eum sedit *Gaudericus*, aliis *Candericus* dictus, quem suprà ostendimus subscripsisse immunitati monasterij Fossatensis anno IↃCXLVIII, & dein Concilio Cabilonensi. Ab hoc ordinatum esse Subdiaconum S. Baldomerem patet ex huius Vitâ ad XXVII Februarij ex codice MS. monasterij S. Iusti euulgandâ: quo in monasterio tunc viuebat sub *Viuentio* Abbate. Posteà Archiepiscopum ipsummet factum Viuentium, veriùs censet Democharis, quàm qui Gauderico eum præponunt. Secutus est *S. Annemundus*, Clothario sub S. Bathildis matris tutelâ regnante, occisus: quem ad S. Bathildis Vitam § 5 ostendimus ab Anglis *Delfinum* appellari. Subrogati dein *S. Genesius*, eique anno DCLXXXIV vitâ functo, *S. Lantbertus* Abbas Fontanellensis, secundus à Wandregisilo, ad quem redimus.

Extat S. Wandregisili Vita, ipsi Lantberto Archiepiscopo Lugdunensi inscripta. Præfatur auctor tradere se aut *à semetipso visa*, aut *à venerabilibus monachis, qui ei per prolixa adhæserunt tempora, assertione verissimâ asserta*. Hic ergo Wandregisilus cùm sub DAGOBERTO I opinione sanctitatis floreret, extruxit monasterium in Elisgaugio territorio: inde in Italiam profectus, Bobiense S. Columbani monasterium lustrauit: Romamque adiens, limina Apostolorum venera-

tus est. In Gallias reuersus, in monasterio quodam, Romanis dicto, vltra saltum Iurensem, sub institutione regulari *per decem ferè annos* vixit. Interea DAGOBERTO Rege mortuo, in Neustriâ & Burgundiâ successerat Chlodoueus II, cuius *anno* III, Christi IↃCXLVI, *die Dominicâ ante Litanias*, siue *Rogationes*, XIV *Maij* consecratum esse in Archiepiscopum Rotomagensem S. Audoënum sæpius diximus. Huius sanctitatis famâ excitus Wandregisilus Rotomagum venit: *aliquamdiu* cum eo conuersatus ordinatur *Subdiaconus*, & *processu temporis Diaconus*: ac *non multò post à S. Audomaro Taruanensi Episcopo consecratur Sacerdos*. Erat eo tempore præfectus palatio Chlodouei *Erchenoaldus, ex maternâ origine consanguineus VVandregisili*: quo fundum Fontanellæ donante, cœpit hic monasterium construere *sub die Kalendarum Martiarum anno præfati Regis vndecimo*, Christi IↃCLIV, non IↃCXLV, quòd interpolator censuit, quasi S. Audoënus factus fuisset Archiepiscopus, & quidem sub Chlodoueo, anno IↃCXXXIV. Verùm nostram chronologiam sequentia accuratâ serie confirmant. Nam *anno Chlodouei* XV, *regiminis S. VVandregisili* IV, Betto eius precibus sanatur: is est annus Christi IↃCLVII. *Chlotharium Regẽ adiit VVandregisilus*, & priuilegium regiæ confirmationis *super aream cœnobij sui liberalissimâ datione accepit anno regni* VII, *regiminis* illius XV, qui est annus Christi IↃCLXVIII. Demum *expleuit S. VVandregilus in sacro regimine decem & nouem annos, menses quatuor, dies quoque viginti & vnum*, mortuus *anno duodecimo Chlotharij*, XXII *Iulij*, anno Christi IↃCLXXIII. Qui annos Christi in eius Vitam infarsit, ab anno IↃCXLV ad IↃCLXV præfuisse eum monasterio scribit, quamuis solùm computet *annos decem & nouem*; quia nimirùm exorsus à Paschate annum, vltimo anni IↃCXLV mense auspicatum esse regimen censuit. Chronotaxin nostram

ſtram ſtabiliunt anni ſequentium Abbatum. Viuente S. Wādregiſilo occiſus eſt *S. Annemundus Lugdunenſis Archiepiſcopus*, in eiuſque locum *ordinatus S. Geneſius Abbas, per quem S. Balthildis*, vt huius Vita tradit, *vnà cum Regis Chlodouei imperio largâ procedebat eleemoſynâ cunctis pauperibus per multa loca. Abbas* dicitur, ſed cuius monaſterij non exprimitur: fortè honoris cauſsâ in palatio ita appellatus, ac poſteà quòd ſucceſſor eius S. Lantbertus anteà Fontanellenſis Abbas fuiſſet, ipſe quoque ex eodem cœnobio veniſſe ad Epiſcopale ſolium exiſtimatus eſt à Seuertio, Chenu, Claudio Roberto, Rainaudo in Indiculo SS. Lugdunenſium, Sauſſaio ad Kalend. Nouemb. aliiſque, quos ratio temporis abundè refellit, niſi velint eum Fontanellenſibus præfuiſſe ante S. Wandregiſilum, anteque extructum monaſterium.

Mortuo ergo S. Wandregiſilo, Abbatem ſecundnm conſtitutum eſſe S. Lantbertum, ſiue Lambertum, teſtantur Acta S. Wandregiſili, ac S. Ansberti eius ſucceſſoris, Sanctique Condedi Presbyteri. In his *annum Lantberti Abbatis* IX conuenire in *annum* III *regni Theoderici*, VI *Idus Octobris*, ſuprà diximus Is eſt annus Chriſti IↃCLXXXII. At S. Geneſio anno IↃCLXXXIV Kalendis Nouembris vitâ functo, conſecratus eſt Lugdunenſis Archiepiſcopus S. Lantbertus, eique in monaſterio Fontanellenſi ſuffectus tertius Abbas S. Anſbertus. Quam epocham probant eadem Acta S. Condedi, dum tradunt *ſub anno* VII *Regis Theoderici S Ansbertum anno* II *gubernaſſe Fontanellenſe monaſterium*: erat autem annus Chriſti IↃCLXXXVI. Aſt anno IↃCLXXXIX *S. Audoënus Archiepiſcopus Rotomagenſis migrauit ad Dominum nonagenarius, cùm rexiſſet Eccleſiam* illam, vt diximus, *annos* XLIII, *menſes* III, *dies* X: ſcilicet à die XIV Maij anni IↃCXLVI ad XXIV Auguſti anni IↃCLXXXIX, vt nihil accuratiùs dici poſſe videatur. In Actis

adiungitur *annus ab Incarnatione Christi*, IↃCLXXVII, quo IX *Kalend. Septemb. die Dominicâ*, è vitâ dicitur decessisse, vt aut *anno* IↃCXXXIV, & quidem *regnante Chlodoueo*, antequàm natus esset, ordinatus sit S. Audoënus Episcopus, aut solùm annos XXXI eam rexerit Ecclesiam, non XLIII clarè expressos. Prætereà anno IↃCLXXVII intruso, cyclo Solis XIV, litterâ Dominicali D, dies XXIV Augusti incidit in diem Lunæ, non Dominicam: quod alterum σφάλμα est hominis parum accurati. Interim Fridegodus Poëta, dum seculo decimo hanc Vitam carmine heroico edidit, pro obitu eius

annos

Octo designat sexcentos septuaginta.

quando dies natalis, IX Kalendas Septembris fuit feriâ III. seu die Martis. Attamen canit:

Ecce quater denis ac ternis sederat annis,
Mensibus & tribus, bis quinis atque diebus,
In Cathedrâ Sedis diocesis Rotomagensis.

& quidem, vt antè dixerat:

Anno iam sexto decimo piè Theoderico
Sceptra gubernante cum Reginâ Clodohilde.

Ita & Auctor Vitæ *annum* XVI *regni Theoderici Regis* & *Cratildis Reginæ* assignat ex peruerso calculo annorum Regum præcedentium. Ceterùm hactenùs eum XVI annum non reperimus obseruatum. *Sextus annus* reponitur à Baronio, *vigesimus tertius* à Petauio, *decimus* à Bucherio & Fiseno, quem & nos assumimus, persuadetque subiunctus *VVaratto Subregulus res palatij administrans*, ab obitu Gislemari anno IↃCLXXXIX, regni Theoderici X, in eam dignitatem restitutus.

S. Audoëno anno IↃCLXXXIX mortuo successit S. Ansbertus, cuius Sedem celebrem facit Synodus Rotomagensis ab eo habita, & quidem *anno glorioſi Regis Theoderici decimo tertio.*

tertio. Sirmondus *hunc annum Theoderici* XIII hactenùs repertum in Synodi actis excusis, & MSS. Rotomagensi ac Fontanellensi, quibus maximè fidendum, aliisque variis, corrigit ex solo codice S. Michaëlis in mari, *annumq;* XVI *Theoderici* reponit, quot eum non regnasse annos probauimus. Sirmondum sequitur Labbeus, & cum illo refert ad annum IↃCLXXXII, quo adhuc viuentibus SS. Genesio Archiepiscopo Lugdunensi & Audoëno Rotomagensi, sub Lantberto Abbate Fontanellensi priuatus viuebat S. Ansbertus. Conuocati ad eam Synodum Episcopi referuntur hoc ordine: *Ansbertus Episcopus vrbis Rotomagensis præfuit & subscripsit.* Duorum sequentium Sedes non indicantur. Sunt autem *Ratbertus*, aliis *Ruotbertus*, *Rutbertus*, & *Bertus* Archiepiscopus Turonensis: qui *corpus S. Leodegarij*, cùm anno IↃCLXXXVIII Pictauium deferretur, *cum choris psallentium & lampadibus*, teste Vrsino, *per mediam duxit ciuitatem*. Alter *S. Regulus* Archiepiscopus Remensis, qui testamento S. Amandi Episcopi Traiectensis anno II Theoderici subscripsit, cui successit S. Rigobertus, anno IↃCCXVII in exilium pulsus. Sequuntur Episcopi; *Airardus Carnotenæ vrbis*, cui Rouillardus dum *annos Sedis quatuor* tātùm assignat, & ferè sub *Chlodoueo* III Theoderici filio, Chronologiam nostram confirmat. *Ansoaldus Pictauensis vrbis*, qui translationem corporis S. Leodegarij procurauit, cuique huius Vitam dicauit Vrsinus. *Aquilinus Ebroicæ vrbis*, cui Vita, danda XIX Octobr. annos Sedis XLII assignat. Aliquorum dein Sedes non indicatur: & sunt, *Cadoënus*, fortè *Cadocanamus*, Maclouiensis in Britanniâ Armoricâ. *Armonius. Saluius. Desiderius*, fortè Redonensis in Britanniâ Armoricâ, qui lein martyrio affectus, colitur XVIII Septemb. *Fulcrannus. Ioannes*, forsan Abrincensis in Normanniâ. *VVillebertus*, siue *Hillebertus* Meldensis,

qui

qui colitur XXVI Maij. *Gerebaldus Baiocassinæ vrbis*, cui VII Decembris sacer est. *Taurinus*, fortè Namnetensis, successor S. Paschasij, cuius mentio fit in eadem Vitâ S. Ansberti. Denique *Aunobertus Sagiensis vrbis*, cuius Vitâ XVI Maij dãda est. Et hæc de Synodo Rotomagensi habitâ anno Theoderici XIII, Christi IↃCXCII, antequàm corpus S. Audoëni à S. Ansberto in editiorem locum transferretur, quod contigit festo Ascensionis Christi sequentis anni IↃCXCIII. Pulsus dein in exilium S. Ansbertus, mortuus est in Alto-monte monasterio Hannoniæ IX Februarij anni IↃCXCV. Cuius corpus trigesimo ab obitu die Fontanellam translatum est, Hilberto S. Ansberti successore adhuc viuente, quo anno IↃCC mortuo, electus est S. Bainus ex Episcopo Teruanensi monachus Fontanellensis: sub quo corpora SS. Wandregisili, Ansberti, & Vulfranni, Archiepiscopi Senonensis illic mortui, è templo S. Pauli ad ecclesiam S. Petri translata sunt anno IↃCCIV, dein tempore persecutionis Normannicæ anno IↃCCCLVIII ad villam Bladulphi prope Quentauicum, circa annum IↃCCCXCV Carnutum, posteà Bononiam circa annum IↃCCCC, & inde tandem Gandauum ad monasteriuum Blandinium anno IↃCCCCXLIV, ibique ab hæreticis dissipata anno CIↃIↃLXXVIII. Quæ omnia IX Februarij exactiùs probantur.

Episcopi

IV

Episcopi Argentoratenses ab anno CCCXLVI *per quatuor secula enumerati. Episcopi Moguntini, VVormatienses, Spirenses.*

QVæ ad Rhenum est nobilissima Argentoratensis Ecclesia, excepit olim, vt suprà demonstrauimus, proprium suæ ditionis Regem, DAGOBERTVM II, filium S. Sigeberti, eiusque est plurimis maximisque beneficiis locupletata & ornata: cuius interim munificentiæ laus, nomine è posterorum memoriâ erasо, DAGOBERTO I eius auo attributa est, & tantâ exaggeratione, vt post alios scriptores Iodocus Coccius singulari dissertatione hanc Regis beneficẽtiam commendaturus, in titulo libri indigetet DAGOBERTVM *Regem Argentinensis Episcopatus fundatorem.* Ab eiusdem DAGOBERTI regno originem illius Episcopatus repetunt Wymphelingus in Catalogo Episcoporum Argentinẽsium anno CIↃIↃVIII excusо, Bruschius de Episcopis Germaniæ, Democharcs lib. 2 de Missæ sacrificio cap. 34, Cratepolius de Sanctis Germaniæ, Guillimannus in Commentario de Episcopis Argentoratensibus, Miræus lib. 5 Notitiæ Episcopatuum Orbis, Ruerus par. 2. Antiquit. Vosagens. lib. 2 ca. 4, & passim alij scriptores, qui hoc & præcedenti seculo floruerunt.

Contra hos omnes præualet clarissima auctoritas Notitiæ prouinciarum & ciuitatum Galliæ, temporibus Honorij Augusti conditæ: in quâ hæc leguntur: *Prouincia Germania prima, numero* IV, *Metropolis ciuitas Mogunciacensium. Ciui-*

tas Argentoratensium. Ciuitas Nemetum. Ciuitas Vangionum. Quibus in vrbibus Sedes tunc fuisse Episcopales manifestum est ex Synodo Agrippinensi, *sub Constante*, Constantini Magni filio, *post Consulatum Amantij & Albini* IV *Idus Martias*, anno CCCXLVI, habitâ. Interfuêre *Amandus Argentinensium, Iesses Nemetum, Victor Vangionum; consentientibusq; & mandantibus Martino Episcopo Moguntiacensium*, ac pluribus aliis, Euphratam Episcopum Colonienſem, quòd Christum Deum negaret, condemnarunt. Ante illud tempus plures fuerunt Episcopi Moguntini, etiam martyrij palmâ illustres, de quorum recto ordine disputat Serarius lib. 2 Rerum Moguntiacarum cap. 24, ac vigesimum eius Sedis censet *Martinum*. An tamen præcedentes omnes, qui Catalogo Episcoporum Moguntinensium inscribũtur, fuerint eius Sedis Episcopi, non liquet. De S. Ignatio Martyre aliqua diximus ad Vitam S. Ignatij Antiocheni Kalendis Februarij, in tractatu de Variis reliquiarum Translationibus num 12, pag. 36. Quod huc spectat, arbitramur eodem modo apud Argentoratenses, Nemetes, Vangiones primis Christi seculis Episcopos fuisse, sed quorum nomina iniuriâ temporum perierunt.

Auctor Vitæ S. Deicoli, Lutrensis in Burgundiâ Abbatis, quã XVIII Ianuarij ex Lutrensibus membranis edidimus, de S. Amando aliisque vrbis Argentoratensis Patronis circa annum IↃCCCCLXV hæc scripsit cap. I: *Ciuitas Argentina, quæ vulgarico vocabulo Strasburch vocatur, exceptis Reliquiis principalibus, proprios se gaudet habere Patronos, quos à Domino suscepit veræ fidei fundatores, & Diuini verbi prodigos seminatores, id est, Amandum, Iustinum, Arbogastum, Florentium, & alios nonnullos, quorum nomina in beati ordinis albo superna illa regio sine fine tenet coaxata.* Hæc ibi. Agi autem de sanctorum Patronorum

norum Reliquiis, toto capite innuitur: in quo Floriaci monasterij dicuntur Patroni SS. Benedictus & Scholastica, vrbis Suessionensis S. Sebastianus Martyr, & sic de reliquis. Primus ergo fidei apud Argētoratenses fundator dicendus est senior Amandus, qui tribus integris seculis vixit ante S. Amandum Episcopum Traiectensem, quos indoctum vulgus non internoscit, dum illius facta huic tribuit. Nam Traiectensis Amādi Reliquias magnâ cum veneratione in monasterio Elnonensi, ideò *S. Amandi* vulgò appellato, semper fuisse adseruatas ex dictis VI Februarij constat. Amandus ergo, qui primus Argentoratensium Episcopus habetur, vixit seculo Christi quarto, atque, vt diximus, interfuit anno CCCXL VI Synodo Agrippinensi.

Secuti illum sunt in eadem Sede Episcopi, II *Iustus*, siue *Iustinus*, suprà in Actis S. Deicoli memoratus. III *Maximinus*. IV *Valentinus*. Hos quatuor eo ordine recenset Wymphelingus, additque *Sanctos adpellari, pingiq; cum diadematibus, & credi inter Diuos receptos esse*. Est eidem V *Solarius*, quem cum præcedentibus Sanctum nominant Bruschius & Demochares: à quibus Solarij successor statuitur VI *Biulfus*, siue *Giulphus*. Sequentes hoc ferè ordine recensentur à Wymphelingo, Bruschio, Demochare, Guillimanno: VII *Magnus, de insigni & nobilissimâ prosapiâ ortus*. VIII *Garoinus, Gaorinus, Garinus*, aut *Baroinus*. IX *Landebertus*. X *Rodobaldus*, siue *Rathboldus*. XI *Magnebertus*, seu *Magnobertus*. XII *Labyolus, Laybolus, Laiblinus, Vbiolus*, siue *Vbelinus*. XIII *Gundoaldus, Gundoldus*, aut *Sundersholdus*. XIV *Aldus, tempore Heraclij Imperatoris*, inquit Wymphelingus, id est, tempore Chlotharij II, à quo DAGOBERTVS filius Austrasiis Rex datus est. XV *Gando*, (fortè S. Amandus Episcopus Traiectensis creditus) *vir clari ingenij*, vt ait Wymphelingus, aut, vt Bruschius, *vir eximiè doctus &*

ctus & sapiens. XVI *Vto, Vtho,* siue *Otho.* Addit Wymphelingus, *de horum patriâ, genere, vitâ, morte, sepulchris, nihil penè se offendere potuisse.* XVII *Ansoaldus,* quem Bruschius & Demochares aiunt *à Rege Childerico constitutum* esse. fortè attigerit primos eius annos. XVIII *Rotharius,* siue *Rodtharius,* quẽ suprà ostendimus *tempore Childerici Regis Austrasiæ,* & DAGOBERTI II in Alsatiâ regnantis floruisse: quo tempore S. Deodatum extruxisse monasterium Vallis-Galileæ vetusta diplomata demonstrant. Huius Deodati fuisse socios SS. Arbogastum & Florentium, monasteriorum Heiligenforstensis & Haselacensis fundatores, suprà dictum est. Ex his XIX Episcopus fuit S. Arbogastus, à DAGOBERTO II filio S. Sigeberti ad eam dignitatem euectus. Successit XX Episcopus S. FLORENTIVS. Amborum tempora suprà stabiliuimus. Quia tamen, quòd Fastis Sanctorum adscripti forent, in quibusdam Catalogis sunt primis Episcopis, qui & Sancti habentur, adiuncti, magna temporum, quibus reliqui floruêre, est facta perturbatio.

Sequitur XXI *VVicgernus,* Gaspari Bruschio *VViggerus.* Hic, vt ait Heddo in suo testamento, *monasteriolum in Nigrâ-siluâ in Marchâ Etinheim, in loco nuncupante Monachorum-cellâ, super fluuiolo Vnduſsâ, de nouo suo opere ædificauit in honore S. Mariæ semper Virginis, & S. Ioannis Baptistæ, Sanctiq; Petri Apostoli & ceterorum Sanctorum: & monachos ibidem congregauit, & dedit ad ipsum locum aliquid de rebus S. Mariæ.* Addit dein Heddo, *se posteà inuenisse ipsum monasteriolum antecessorum negligentiâ desolatum.* Qui istic *taxatur,* inquit Wymphelingus, est *successor VVicgerni* XXII *Episcopus VVandelfridus.* Guillimannus post hunc *Hidolphum* ponit ab aliis omissum, fortè per errorem ex testamento Heddonis intrusum, qui dicti monasterij constituit *Abbatem virum reuerendissimum,*

nomine

nomine Hildolfum, nisi hic sit *Aulidulfus*, à Wymphelingo, Bruschio, Democharе post Heddonem recensitus, qui XXIII esse deberet. XXIV *Heddo*, siue *Etho*, aut *Ethico*, filius Ethiconis, fratris S. Odiliæ Virginis & Alsatiæ Comitis, natipatre Adalrico, siue Athicone, & matre Beresuindâ, sorore Reginæ Bilichildis, vxoris Childerici Regis. Est autem dictus *Heddo*, siue *Etho* factus Argentoratensium Episcopus anno IↃCCXXXIV, quo etiam Carolus Martellus Frisiam vastauit, vti illa apud Hermannum Contractum coniunguntur. Zacharias Papa inter Episcopos Galliæ & Germaniæ, quibus epistolam VI, à Sirmondo tomo I Conciliorum Galliæ relatam, scripsit, *Heddum Strateburgensem* numerat. Edita est eadem epistola à Guillimanno in Heddone, Serario lib. 3 Rerum Moguntiacarum cap. 6, aliisque, sed vbique deest annus Pontificatus Zachariæ cum Indictione. Sirmondus coniectat datam anno IↃCCXLIV; Baronius, Bucherius, Miræus aliique anno IↃCCXLVIII. Præfuit Ecclesiæ S. Zacharias Papa ab anno IↃCCXLI ad annum IↃCCLI, post quem diu superstes Heddo memoratum antè testamentum scripsit III *Idus Martij regnante Pippino anno* XI, Christi IↃCCLX aut sequente: illud integrum edidit Guillimannus.

En vigintitres aut quatuor Episcopi, qui ab anno CCCXLVI vsque ad annum IↃCCLX per quatuor secula Ecclesiæ Argentoratensi ab S. Amando, qui Synodo Agrippinensi interfuit, vsque ad Heddonem præfuerunt. Neque vlla earum Sedium, quarum Antistites dictæ Synodo anno CCCXLVI adfuerunt, plures numerat vsque ad eos qui in citatâ Epistolâ Zachariæ Papæ memorantur. Nam Rotomagenses referuntur *Eusebius* & *Reginfridus*, inter quos fuerunt Episcopi XXI. A *S. Seruatio* vltimo Tungrensi ac primo Traiectensi, ad *S. Hubertum*, Traiecti sederunt Episcopi XX, post

eum Leodij *S. Florebertus*, ac dein *Fulcarius* in epistolâ Zachariæ memoratus. Apud Ambianenses inter *Eulogium* & *Rambertum* quindecim solùm Episcoporum supersunt nomina: quinque tantùm inter *Iessen* & *Dauidem* apud Spirenses. Eadem ferè reliquorum Episcopatuum ratiõ est, quorum Episcopi aut in Synodo Colonienſi memorantur, aut in Zachariæ Papæ Epistolâ. Expensa à nobis accuratè singulorum successio, at ne cui fastidium creet, hîc omissa. Hortatur S. Zacharias Papa Episcopos Galliæ & Germaniæ in dictâ epistolâ, vt ministeriis suis constanter insistant cum Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, Sedis Apostolicæ Vicario. Numerantur ante S. Bonifacium quadraginta Episcopi Moguntini, quorum vicesimum censeri Martinum, in Synodo Colonienſi memoratum, suprà diximus: à quo tempore per tria subsecuta secula alij viginti eidem Ecclesiæ præfuerunt.

Wormatiæ Vangionum vrbis Episcopus primus habetur *Victor*, qui eidem Synodo Colonienſi subscripsit. II *Amandus*, qui S. Seruatium Episcopum Tungrensem, cùm Româ rediret, magnificè suscepit. Transtulit dein S. Seruatius Sedem Episcopalem Tungris Traiectum, ibiq́ue mortuus est anno CCCLXXXIV. III Episcopus Vangionum habetur *Carolus*. IV *Crotoldus*. VIII *S. Rudpertus*, siue *Rupertus*, quem antiqua eius Acta XXVII Martij tradunt *anno* II *Childeberti Regis Austrasiorum*, Christi IↃLXXVII, *in VVormatiâ fuisse Episcopum, sed magnâ iectum iniuriâ, primum Salisburgensem Episcopum factum*. X statuitur *S. Amandus* eius nominis II, anno regni DAGOBERTI I Regis Austrasiorum VI, Christi IↃCXXVI aut sequente, de quo suprà in DAGOBERTO I egimus. XII designatur *Geroldus* tempore Carolomanni ac Pippini & Zachariæ Papę. Aliorum Episcoporum nomina intercidisse aiunt Bruschius

schius, Democharis, aliique Catalogorum Episcopalium scriptores. Nos longè plures, quàm quinque ab iis recensitos, arbitramur fuisse: & coniicere certò licet ex catalogo Episcoporum Moguntinorum & Argentoratensium, quæ vrbes Chunorum, Gothorum, Wandalorum, Alamannorum aliorumq; Christianæ religionis hostium persecutionẽ æquè passæ videntur. Eadem Episcoporum Spirensium ratio est, de quibus suprà in DAGOBERTO I satis egimus.

V

Archiepiscopi Treuirenses. S. Hildulphi ætas, inq; Mediani monasterij regimine successores vsque ad seculum XI.

PRimaria Regum Austrasiorum ditio erat Belgica I, cuius metropolis, Augusta Treuirorum. Sub hac Episcopales vrbes, Diuodurũ Mediomatricorũ ciuitas & Regum sedes, Tullum Leucorum, Verodunum. De harum vrbium Episcopis, qui seculo septimo, DAGOBERTORVM præcipuè temporibus, floruerunt, pauca adnotamus. Browerus in illustri opere Annalium Treuirensium de illius ciuitatis Archiepiscopis agit, sed aliâ prorsus chronotaxi, cuius exactam rationem miramur à viro tanto neglectam. Initium regni DAGOBERTI apud Austrasios collocat ad annum IↃCXXVI, illiq; regna Neustriæ Burgundiæque adiuncta statuit ad annum IↃCXXXI; eo namque Chlotharium patrem mortuum & Remense Concilium sub Sonnatio habitum. Hoc nos Concilium suprà retulimus ad annum IↃCXXIV aut sequentem. Ei interfuit *S. Modoaldus Treuirorum Episcopus*. Hunc tradit

dit Browerus *Sebaudo* succeſſiſſe IↃCXXVI Chriſti anno, regni DAGOBERTI primo. Non diſplicet ea regni epocha: ſed corrigenda altera, dicenduſque S. Modoaldus ordinatus circa an. IↃCXXII. Poſt annos Sedis triginta aſſerit Browerus eum ſub regno Childerici deceſſiſſe anno Chriſti IↃCLVI, ratus S. Sigebertum Regem Auſtraſiorum vitâ functum anno IↃCLIV aut ſequenti, Childebertum filium Grimoaldi mox regno depulſum, eique Childericum ſubſtitutum. Verùm ad annum vſque IↃCLXIII vixiſſe S. Sigebertum Regem ſuprà oſtendimus: quem vſum conſilio Pontificum ſui temporis, *Chuniberti Colonienſis*, *Nemoriani*, ſeu *Numeriani*, *Treuirenſis*, & *Giſloaldi Virdunenſis* auctor eſt ipſe Childericus in diplomate donationum monaſteriis Stabulao & Malmundario factarũ ſuprà relato. Vbi etiam indicauimus tabulas S. Deodato monaſterij Vallis-Galileę fundatori ab eodem Numeriano tempore Childerici Regis ſignatas. At Browerus ſcribit ſe *nihil de Numeriano, præter Epitaphij memoriam, veterum monumentis traditum reperiſſe*. Inſcriptus eſt Martyrologio Romano ad diem v Iulij.

Succeſſit Numeriano *S. Hildulphus*, quem Browerus aliique paſſim ad tempora Pippini Regis & annum Chriſti IↃCCLIV reiiciunt. Acta eius MSS. varia ſunt, ſed nulla abſque nævis, pleniùs emendanda XI Iulij: præcipua incipiunt his verbis: *Quoniam quicumque baptizati, Chriſtum induti ſunt, & hæreditatem animo ſuſpirarunt æternæ ſalutis, vt aliquando illam valerent conſequi, vſi ſunt lumine caritatis*. Ex his Actis nonnulla citantur in Vitâ S. Agricij Epiſcopi Treuirenſis editâ XIII Ianuarij cap. 2 num. 10. Traditur in iis S. Hildulphus natus *regente Noricorum, hoc eſt Bavvaricorum, gentem Garibaldo, & Auſtraſiis imperante Theudeberto filio Childeberti*. Andreas Brunnerus lib. 5 Annalium Boiorum aſſerit circa annum

IↃCCVII

IↃCVII Thassiloni mortuo successisse Garibaldum, quo regnante Theodebertus obiit à fratre victus anno IↃCXII. Quàm procùl hæc tempora distant ab anno IↃCCLIV, quo Hildulphum volunt creatum Episcopum. Sed pergit Vitæ illius auctor: *Moribus Ecclesiasticis assuefactus* Hildulphus *apud vrbem, vulgò Regenesburch dictam, Clericatus honore donatus est ... Tandem exemplo fidelis Abrahæ terrâ, cognatione, domoq; parentum egressus, iter arripuit Sicambriam versùs, subiitq; ciuitatem Treuerim ... Erat illis diebus in regio palatio Ansgisus Arnulfi filius*, cui *post multum temporis decedenti successit Pippinus* filius, qui *& alios filios habuit; sed ex his præcipuus Carolus extitit, primi ex Francis magni Imperatoris Caroli auus.* Ansigisus, cuius hîc stirps augusta explicatur, floruit potissimùm sub Regibus Sigeberto & Childerico. *Publicis igitur vtilitatibus*, inquit auctor, *inuigilante Ansgiso iam dicto, & Milone Archiepiscopo Treuirensium rebus humanis exempto ... communi voluntate Treuirorum confirmatur Antistes Hildulphus.* Hic næuus nominis Milonis intrusi posteriores scriptores in errorem abduxit: at Numeriano substituto, qui cum Ansigiso vixit, securè progredimur.

Factus ergo Archiepiscopus Treuirorum Hildulphus tempore Childerici & Ansigisi, magnâ apud Regem auctoritate pollentis, priuilegia immunitatesque à decessore suo Numeriano & Pontifice Romano datas, S. Deodato confirmauit: ac relicto Episcopatu, Medianum monasterium extruxit, cui simul & Valli-Galilææ à morte Deodati præfuit. Eum enim, vnaque SS. Arbogastũ & Florentium, (qui deinde Episcopi Argentoratenses fuêre) sancti propositi socios habuerat, temporibus Childerici, Theoderici & DAGOBERTI II filij S. Sigeberti, vt suprà probauimus. In Fragmento historico, quod Alberti Argentinensis Chronico

præfixum est, dicitur *Athicus, siue Adalricus, regnante Childerico vxorem duxisse, Bersuindam nomine, sororem Reginæ, genuisseq; filiam à natiuitate cæcam, nomine Odiliam, quæ à S. Erhardo Ratisponensi Episcopo & Hildolfo Treuerensi baptizata, in sacro fonte visum recepit.* In Vitâ S. Hildulphi dicitur baptizata, cùm is iam diu relicto Episcopatu in Vosagi partibus degeret. Coluntur S. Odilia XIII Decemb. S. Erhardus VIII Ianuarij, cuius illic varia Acta dedimus. At mortuus est *S. Hildulphus*, vt in eius Vitâ legitur, V *Idus Iulij, cùm ageretur annus ab Incarnatione Iesu Christi* IↃCCVII, *consulatu Iustiniani minoris Augusti, à Leone*, imò Leontio, *contra eum rebellante narium detruncatione deformati*, V *Indictione, Sergio venerabili Papâ, cuius duo proximiores successores nomen Ioannis possederunt, Romanam Ecclesiam regente.* Verùm hæc omnia exactiùs conueniunt in annum Christi IↃCXCII, quando Indictione V imperabat, necdum expulsus, Iustinianus; S. Sergius Ecclesiæ præerat, creatus Pontifex sub finem anni IↃCLXXXVIII, mortuus anno IↃCCI: cui successerunt Ioannes VI & Ioannes VII, quorum hic dicto anno IↃCCVII è vitâ migrauit. Verùm siue anno priore, seu posteriore, aut etiam tempore intermedio diem extremum Hildulphus obierit, ad prouectam peruenit senectutem, vt octogesimum aut etiam nonagesimum vitæ annum attigerit.

Post S. Hildulphum præfuerunt monasterio Mediano *Reginbertus* annos quinquaginta, *Sinidrabertus* vltra viginti, *VVadaluninus* vix duodecim, *Fortunatus* Patriarcha tempore Caroli Magni electus, annos viginti. Seculo nono secuti sunt *VValdo*, *Ysimundus* quondam Episcopus, *Theodericus*, *Reginardus*, *Pippinus*. Dein seculo decimo substitutis Clericis imperarunt Comites *Hillinus*, *Ricquinus*, *Otto*, *Boso*, *Amardus*, *Gislibertus*: hic monasticum ordinem restituit, sub Frederico Duce

co Duce Lotharingiæ, S. Gerardo Episcopo Tullensi, Ottone I Imperatore, atque *Adelbertum* Abbatem constituit: cuius successor *Nardulfus* anno Christi CIↃXIV viuebat. Hęc pluribus exponuntur in libello MS. de successoribus S. Hildulphi in Vosago, quem auctor Vitæ eius seculo XI scripsit, cùm celebri mentione *Domni Abbatis Lamberti, qui anno ab Incarnatione Domini* CIↃXLIII *in* VI *Feriâ, quæ* II *Nonas Nouembris habebatur, corpus glorioſi Martyris Bonifacij de Begonis-cellâ ad Medianum monaſterium reuexit.* His interpositis, quorum notitiã videtur Ioãnes Ruerus in Antiquitatibus Vosagensibus non habuisse; redeo ad Archiepiscopos Treuirenses.

S. Hildulpho sufficit Browerus *VVeomadum* ad annum IↃCCLXVIII, quasi ille tum in eremum Vosagensem ad S. Deodatum secessisset, Medianum monasterium condidisset, ac S. Odiliam baptizasset. Quibus expositis ita concludit: *Atque hæc quidem, quòd nullâ annorum digeſta ſerie legerim apud veterem ſcriptorem, ſi non concinnâ methodo, at optimâ fide tradere conatus ſum, gnarus quàm erubeſcendo genere ſcripta de Erhardo, Hildulpho & Odiliâ circumferantur, quorum fidem auctores minimè vindicent.* Hæc Browerus, meritò aliquam rerum temporũque perturbationem suspicatus, à quâ tamen se nec sic extricat. Nos ab eo recedimus ad seculum præcedens, quando S. Hildulphus, circa annum IↃCLXX Archiepiscopus Treuirensis fuit. Cui in eremum secedenti, *S. Basinus* successit, regnante adhuc Childerico, vixitque vsque ad tempora Childeberti, quo rerum potiente è vitâ decessit circa annum Chr. IↃCC. *S. Lutvvinus*, Basini ex sorore Gonzâ nepos, & Mediolacensis monasterij fundator, ad Ecclesiam Treuirensem administrandam post auunculum assumptus est: atque Episcopus subscripsit donationi S. Irminæ Abbatissæ, factæ *Kalend. Decemb. anno* IV *regni Childeberti,*

Christi IOCCI. cuius donationis diploma suprà dedimus. *Lutvvinus in episcopatu constitutus, res quæ sibi hæreditario iure obuenerant, vel pretio comparauerat, Mediolacensi monasterio contradidit anno Childeberti Regis* XII, Christi IOCIX aut sequente: vti in eius Vitâ legitur. S. Lutwino succeſſit filius eius *Milo*, quem ait Hincmarus in Præfatione ad Vitam S. Remigij, *tonsurâ Clericum, moribus, actu, habitu irreligiosum laicum episcopia Remorum ac Treuirorum per quadraginta circiter annos pessumdedisse.* Obtinuit Episcopatum Remensem expulso anno IOCCXVII S. Rigoberto legitimo Episcopo, circa quod tempus videtur S. Lutwinus ex hac vitâ migrasse XXIX Septemb. quo colitur: vti IV Martij deceſſor eius S. Basinus. De S. Chlodulpho Episcopo Metensi ad classem Archiepiscoporum Treuirensium non admittendo suprà egimus.

VI

Episcopi Tullenses, Virdunenses, Metenses, Colonienses.

QVæ hîc in S. Hildulpho explicata est difficultas, Tullenses etiam attingit Episcopos: quorum qui decimusquintus à Claudio Roberto recensetur *Teufredus*, in diplomate donationũ à S. Sigeberto Rege pro monasteriis Stabulao & Malmundario signato post an. IOCLX, *Theodefridus* appellatur. Huius succeſſor traditur fuisse XVI *Leudinus*, cognomento Bodo, frater S. Salabergæ Abbatissæ, de quâ suprà egimus. Hic soluto coniugio, *incisâ cæsarie, monachi agebat officium. At non multò pòst Tulli oppidi adeptus Episcopatum, non multò pòst naturæ debitum reddidit*; vti in illius Vitâ habetur.

tur. XVII est *Eborinus*, quem cùm S. Numeriano Archiepiscopo Treuirorum sub Rege Childerico vixisse suprà dictum est. Et hæc tempora sunt, quibus S. Deodatus cœnobium Vallis-Galilææ condidit. Auctor Vitæ S. Hildulphi, quo cœperat errore huius episcopatum ad regnum vsque Pippini post Milonis obitum differre, eodem tradit S. Hildulphum secessisse in eremum tempore *Iacobi* Episcopi Tullensis XXV, & ab eius decessore *Girbaldo* locum in saltu Vosagi obtinuisse: qui Episcopi tempore Milonis, aut etiam seriùs præfuerunt Ecclesiæ Tullensi. Auctor Vitæ S. Deodati eosdem errores describit, & quasi semet correcturus, addit *S. Hildulphum tempore Iacobi Leucorum Episcopi anno Christi* IↃCLXXI, *ab aduentu S. Deodati ad Vallem-Galilæam tertio*, ad eremum venisse. *Hîc nobis*, inquit, *ne fortè succenseat vllus, & duos Pontifices Leucorum, Godonem scilicet & Bodonem fuisse inter Girbaldum (cuius diebus B. Deodatus reliquisse Episcopatum* Niuernensem *fertur*) *& inter Iacob, cuius tempore Dominus Hildulphus. Nec conuenire rationi, vt quatuor Episcopi administrauerint pontificium vix tribus annis.* Hæc ille auctor: contra quem rectè adnotat Ruerus par. 2 Antiquitatum Vosagensium lib. 1 cap. 14, *S. Deodato locum monasterij sui non assignasse Garibaldum, sed potiùs Eborinum, si id fecerit aliquis Episcopus Tullensis: verùm maiori certitudine attribuendum esse S. Numeriano.* Habemus confirmationem donationis à Grodegango Episcopo Metensi, factæ monasterio Gorziensi, in Compendio palatio publicè in Synodo congregatâ *anno* IↃCCLVI, *regni Pippini* VI, *die* XV *Kalend. Iunij*, cui subscripsit *Iacob peccator Episcopus*, quem eumdem de quo agimus, vrbis Tullensis esse opinamur. Securiùs, ex libello successorum S. Hildulphi suprà indicato, dicuntur *S. Gerardo* Episcopo Tullensi sub rogati *Stephanus*, dein *Bertoldus*, omisso Roberto, quem

alij inter hos duos collocant.

Tullo vicinum est Verodunum, altera sub Treuirensi Archiepiscopo Sedes Episcopalis, de cuius Episcopis præclarum opus edidit Richardus Wasseburgius Ecclesiæ Virdunensis Archidiaconus: qui tamen nec Regum Francorum, neque ipsorum Episcoporum annos semper rectè disposuit. Decimus huius Sedis numeratur *S. Agericus*, quem Gregorius Turon. qui cum illo sub eodem Rege vixit, lib. 9 cap. 23 tradit *diem obiisse anno* XIII *Childeberti Regis Austrasiorum*, ergo Christi IↃLXXXVIII: cuius tamen obitum Wasseburgius refert ad annum IↃXCV, VII annorum errore, quem alij ex Wasseburgio describunt.

S. Agerico substitutus legitur apud eumdem Turonensem *Charimeres*, seu *Charimerus*, anteà Regis Cancellarius. Huic successit tempore Theodeberti II *Hermenfridus*, quem mortuum tradunt postquàm triennio Austrasiæ regnum Chlotharius occupârat, ergo anno IↃCXVI, non IↃCXXI, vt cum Wasseburgio alij tradunt ad quinque annos aberrantes. At maiori mendo omissus est *Godo*, quem suprà ostendimus interfuisse Synodo Metensi sub Sonnatio anno IↃCXXIV aut sequenti: quo ferè tempore, expensas DAGOBERTO Rege Austrasiorum præbente, fundatum est monasterium Theologiense iuxta oppidum S. Wendelini, in quo *S. Paulus* per aliquot annos commoratus est monachus, dein Abbas factus, ac posteà creatus Episcopus Virdunensis, subrogatus non *Hermenfrido*, multis antè annis mortuo, quàm extrueretur monasterium Theologiense; sed Godoni, cuius Sedi x, aut XII anni sunt tribuendi. Mortuus est *S. Paulus* circiter annum IↃCXLIX, VIII Februarij, quo die exactiùs hæc ad eius Vitam examinamus paginâ 170 & sequentibus. In Pauli locum electus est *Gisloaldus*, seu *Gislocardus*, in suprà relatis Regum

gum Sigeberti & Childerici diplomatis memoratus. Huius successores traduntur *Gerebertus*, dein *Armonius*, quem bona quædam Ecclesię suæ cum Pippino Herstallo eiusque coniuge Plectrude commutasse XX Ianuarij, anno VII Childeberti Regis, Christi IↃCCV, suprà ex antiquis tabulis ostendimus. Eodem adhuc Childeberto regnante *Agrebardus* Virdunensium Episcopus fuit, quem testamento Wolfandi fundatoris Abbatiæ S. Michaëlis subscripsisse diximus.

Inter Metenses Episcopos, XXIX habetur *S. Arnulphus*, qui, vt auctor coæuus in eius Vitâ, è codicibus MSS. edendâ XVI Augusti, scribit, *sub Theodeberto II Rege Austrasiorum per multa experimenta probatus, omnium primus in palatio effectus est, & sex prouincias in suâ administratione solius rexit arbitrio*: dein cùm *vrbs Metensium Præsule indigeret, vnâ voce populorum acclamatum est, Arnulphum Domesticum atque Consiliarium Regis dignum esse Episcopum: sicq; deinceps & Episcopales gestauit infulas, & primatum Palatij tenuit.* Hæc ibi, non indicato Rege qui tunc Austrasiis imperauit. Hinc auctor Vitæ *S. Goërici*, eius in Episcopatu successoris, sub eodem Theodeberto asserit Episcopum fuisse. In Actis MSS. S. Chlodulphi, eius filij, legitur *sub Rege Theoderico B. Arnulphum, Clero & populo postulante, ex eruditissimo laico & sanctissimo Maiore-Domus derepentè Clericum factum, Cathedræ Pontificali felicissimè ad regendum fuisse eleuatum.* Anno id IↃCXII aut saltem sequenti factum fuisse oporteret. Etenim anno IↃCXIII Theoderico extincto, monarchiam Francorum consecutus est *Chlotharius* II, *quo consentiente*, in aliis S. Arnulphi Actis MSS. *dicitur ipse renitens in Episcopum Metensem assumptus.* S. Bertrannus Episcopus Cenomanensis testamentum fecit VI *Kalend. Aprilis anno vicesimo secundo regnantis Chlotharij Regis*, qui annus esse videtur IↃCXVIII, ducto eius numeri initio, non à morte Chilperici

Chilperici patris, sed ab eo tempore, quo post Childeberti patruelis sui obitum partem non exiguam regni eius occupauit Chlotharius. In eo testamento, basilicæ Cenomanensi SS. Petri & Pauli donat *villam Vocriono*, quam *partiuerat cum Domno Arnulpho Episcopo Metensi*, & sibi *tenuerat*, huic permittens *villas, quæ fuerant Egulfi & Arnoaldi.* Integrum instrumentum edidit Antonius Coruæserius in Historiâ Episcoporum Cenomanensium.

DAGOBERTVM Regem Austrasiorum à Chlothario patre constitutum, S. Arnulphi prudentiâ eruditum fuisse, eiusque consilio prudenter regnasse, etiam aliquot post obitum Chlotharij parentis annis, suprà diximus. Hinc secessum Arnulphi ad eremum Vosagi relicto Episcopatu arbitramur contigisse circa annum IↃCXXX aut sequentem. Sedi S. Arnulphi vulgò attribuuntur anni quindecim, qui ad calcem libelli Pauli Diaconi de Episcopis Metensibus, tempore Caroli Magni scripti, leguntur. Verũ ea appendix est alterius scriptoris minùs accurati, qui S. Pappolum decessorem Arnulphi, à Paulo etiam indicatum, omisit, atque eius loco præposuit Arnoaldum assignatis illi annis XXVII & diebus XXX. Huius decessori *Agilio*, quem alij *Aigulfum*, siue *Agiulfum* appellant, commendauit S. Gregorius Magnus, vti & aliis Galliarum Episcopis, S. Laurentium anno IↃCI in Britanniam redeuntem: vti ostendimus II Februarij ad Vitam eiusdem S. Laurentij Cantuarienſis Archiepiscopi pag. 291. Est ea epistola 52 libri 9 Registri S. Gregorij. Fuerunt autem secundùm Pauli Diaconi catalogum hoc ordine Episcopi Metenses: *Agiulfus. Arnoaldus. Pappolus. S. Arnulphus. S. Goëricus*, qui corpus S. Arnulphi circa an. IↃCXXXVIII è Vosago Metas transtulit. *Godo. S. Chlodulphus*, filius S. Arnulphi: ad hunc S. Trudo circa annum IↃCL aut sequentem à S. Remaclo

Remaclo Episcopo Traiectensi Metas missus, plurima bona, raro exemplo, legauit Ecclesiæ S. Stephani, ibidemque pluribus annis sacris profanisque studiis institutus, ac Sacerdos ordinatus, rediit ad S. Remaclum anno Episcopatus huius x, Christi IↃCLIX. Vixit dein S. Clodulphus Episcopus Metensis cum Gisloaldo Virdunensi, Eborino Tullensi, S. Numeriano Treuirensi, sub Childerico Rege: vti iam sæpiùs dictum est.

Tempore S. Arnulphi & trium successorum, floruit *S. Chunibertus* Episcopus Colonienſis, qui cum S. Arnulpho interfuit Concilio Remensi anno IↃCXXIV aut sequenti. Post cuius ad eremum secessum, DAGOBERTVM consilio S. Chuniberti prosperè vsum fuisse, eique commendasse S. Sigebertum filium, Regem Austrasiorum creatum, suprà diximus. Idem post obitum DAGOBERTI cùm B. Pippino aliisque Austrasiæ Optimatibus, thesaurum illius cum Principibus Neustriæ diuisit anno IↃCXLV. Et hæc tempora sunt, quibus *S. Goëricus* & *Godo* apud Metenses floruerunt. Denique cum *consilio S. Chuniberti* Colonienſis Archiepiscopi, nec non Episcoporum *Attelani* Laudunensis, *Theodefridi* Tullensis, & *Gislocardi* Virdunensis, donationes monasteriis Stabulao & Malmundario factas approbauit S. Sigebertus Rex post annum IↃCLX.

VII

Episcopi Traiectenses ad Mosam. S. Lamberti exilium sub DAGOBERTO II, *cædes sub Pippino Herstallo.*

PLura hîc de Traiecti ad Mosam Episcopis dicenda forent, nisi ea singulari Diatribâ anteà seorsim disputassem. Quæ autem contrà obiici posse videbantur, obiter refutaui ad Vitam S. Amandi Episcopi Traiectensis VI Februa. § 7 & 8 à pag. 824. Paucula, quia ad historiam Regum DAGOBERTORVM spectant, repeto. XVI Episcopus Traiectensis fuit *S. Ioannes Agnus*, qui, teste Harigero cap. 32, *vir pius ac locuples, ab agricultură regiis præceptis ad Episcopatum rapitur, regnum Austrasiorum administrante* DAGOBERTO *adolescente*: ergo ante annum IↃCXXV, quando necdum ductâ vxore, Austrasiam tantùm septemtrionalem regebat DAGOBERTVS I. *Ipse verò B. Ioănes cursum vitæ præsentis explens, in bonâ senectute decessit*, XXV Iulij anni IↃCXLVI. Dein *S. Amandus* antè ad prædicationem Euangelij Episcopus consecratus, à Rege & Sacerdotibus coactus, triennio solùm, quod annis Christi sexcentesimo quadragesimo septimo, & duobus sequentibus terminamus, Traiectensi Ecclesiæ præfuit. Profectus is Romam anno IↃCL ad S. Martinum Papam, atque ab eo impetratos messis Euangelicæ adiutores, SS. Landoaldum, Amantium aliosque, secum in Belgium anno IↃCLI adduxit. Proinde haud potuit S. Landoaldus, quòd à nonnullis asseritur, nouem antè annos vices S. Amandi in Episcopatu Traiectensi gessisse. Et hæc paucis attigisse sufficiat. Integra S. Amandi

Amandi Acta à pluribus conscripta ad VI Februarij edita sunt à pag. 815 ad pag. 903.

In disputatione historicâ ad tomum I Chapeauillæi cap. 6 num. 100, tradit auctor, ab eo tempore, quo *S. Amandus à Martino Papâ impetrauit veniam decedendi Episcopatu*, id est, ab anno IↃCL, *nullum definitum Episcoporum Traiectensium characterem apparere ante mortem primi Leodiensium Episcopi*, siue *annum Christi* IↃCCXXVII, *per annos omnino septuaginta septem, quo interuallo quatuor tantùm concluduntur Episcopi Remaclus, Theodardus, Lambertus, Hubertus, omnes Sancti.* Ex his LXXVII *annis conceduntur S. Huberto triginta*, eiusque ingressus *componitur cum vere anni* IↃCXCVII, *S. Lambertus* dicitur *cœpisse ineunte anno* IↃCLVI, ac *labente Episcopatus sui anno* XL *cæsus*, XVII *Septembris.* Atque ita *SS. Remacli & Theodardi Pontificio quinque solùm annorum spatium relinquitur*: idque, vt fatetur, *absque vllo apparente charactere.* Secundùm hanc chronologiam in tabulis adiunctis assignatur triennium Episcopatui S. Remacli, ab anno IↃCL ad annum IↃCLIII, quo dicitur *illi Stabuletum sponte decedenti suffectus S. Theodardus.* Verùm *anno* VI *Episcopatus S Remacli cœpta sunt extrui Stabulaus & Malmundarium*: & *S. Trudo ad intelligendum indaginem sacræ Scripturæ, anno* VI *episcopatus S Remacli studium, conuertit*, & dein *sacræ Scripturæ scientiis sufficienter imbutus, anno* X *Episcopatus S. Remacli est Sacerdos à S. Chlodulpho ordinatus.* Dein Metis reuersum *S. Remaclus in collegam ad prædicandum Euangelium Christi assumpsit, partitoq; onere curæ pastoralis, Ecclesias ordinare, & Pœnitentiæ sacramentum conferre suâ auctoritate iniunxit.* Tunc *S. Trudo ad Sarcinium locum suæ nationis iter direxit, & fundandi cœnobij fundamenta iecit. Circa idem tempus S. Remaclo ab onere curæ pastoralis absoluto, S. Theodardus Abbas Stabulensis, constituitur Traiectensis Episcopus, post paucos dies à Chuniberto Archie-*

piscopo Colonienſi conſecratus. His ipſis verbis iſta in Trudonenſi Chronico MS. cap. 6 & ſequentibus narrantur: confirmanturque in S. Trudonis Vitâ XXIII Nouembris à Theoderico monaſterij illius Abbate ſcriptâ.

En decem anni Epiſcopatus S. Remacli certis characteribus probati. Huic ergo anno IↃCLX Stabulaum decedenti ſuffectus eſt S. Theodardus, quem volunt *anno* IↃCLV *martyrio coronatum.* In Floribus Eccleſiæ Leodienſis paginâ 6 in Serie Epiſcoporum hæc leguntur: *S. Amandus ceſſit anno* IↃCL. *S. Remaclus ceßit* IↃCLIII. *S. Theodardus obiit* IↃCLVI. Et hæc omnia *abſque vllo apparente charactere* affirmantur. Certiſſimum nos ſuprà protulimus in tabulis donationum *Childerici Regis, datis quando fecit menſis September dies* VI, *anno* VIII *Domni Childerici Regis, Traiecto feliciter.* In his pro monaſteriis Stabulao & Malmundario *iubet Rex Domno & Patri Theodardo Epiſcopo, cum foreſtariis loca menſurare & deſignare.* Annus is eſt IↃCLXXII, quando Childericus maturâ iam ætate vxorem duxerat Bilichildem, quæ cum Imnechilde Reginâ, viduâ S. Sigeberti, eaſdem tabulas ſignauit. Harum autem tabularum dum meminerunt Reges Theodericus frater Childerici, & Chlodoueus III, atque Imperatores Ludouicus Pius, Otto II & Henricus II, ac denique Leo IX Pontifex Maximus, ſecuros de iis nos reddunt. Auctor Vitæ S. Theodardi, à Sigeberto Gemblacenſi meliori ſtylo adornatæ, dum ab Epiſcopatu S. Amandi anno IↃCXLVI inchoato ad martyrium vſque S. Theodardi *triginta circiter annos* interponit (quibus *Eccleſia Traiectenſis poſſeſſionum ſuarum quantitate mutilata, atque irruentibus vndique procellis agitata eſt*) neceſſariò necem S. Theodardi ad annum vſque IↃCLXXVI reiicit: quo anno arbitramur eum pro Eccleſiæ defenſione Martyrem apud Nemetes X Septembris occubuiſſe. In

Chronico

Chronico MS. collegij Treuirensis Societatis Iesu, auctore Saxone anonymo, hæc habentur *anno Christi* IↃCLXXXIII, *Constantini* XIV: *S. Lampertus Traiectensi Episcopatu successit S. Theodardo.* Verùm huic MS. Chronico haud magna apud nos est fides. Nam in eo dicuntur DAGOBERTVS I obiisse anno IↃCLXIII, ac filius eius Chlodoueus anno IↃCLXXXI.

Vltimi ergo Ecclesiæ Traiectensis Præsules fuêre SS. Lambertus & Hubertus, quorum Episcopatui annos integros quinquaginta assignamus, ab anno scilicet IↃCLXXVII ad IↃCCXXVII. Sed quot sint singulis horum attribuendi, non æquè liquet. Inter auctores, qui Vitam & martyrium S. Lamberti scripserunt, primus habetur Godeschalcus, Ecclesiæ Leodiensis Diaconus, qui eam lucubrationem aggressus iussu Agilfridi Episcopi anno IↃCCLXI ordinati. Hunc tamen Godeschalcum tradunt aliqui, Vitam illius deflorasse ex priore, quæ extat in variis MSS. auctore anonymo quidem, sed *contemporaneo*, vt scribit Chesnæus tomo I Historiæ Francorum, vbi pag. 674 & sequenti, partem eius edidit. Prologus vtriusque idem est, vbi auctor dicit se *narrare conuersationem vitæ eius, quæ ab adolescentiâ suâ plurimis comperta fuit, & per viros prudentes cognita firmatur*: & se *effari cursum vitæ eius, & glorioſam martyrij palmam, sicut per fideles viros & idoneos testes ad suum peruenisset auditum.* Ex hac Vitâ pauca decerpo: *Interfecto Theodardo, consilio plebis & simul cum Regis Childerici imperio, subrogatus est Landebertus, vt præesset Ecclesiæ Treiectensi. Porrò Rex cùm almitatem eius percunctasset, diligebat illum super omnes Pontifices & Optimates suos. Erat enim Consiliarius fortis & omnem sapientiam cum curâ & moderatione gerebat. Apud Regem summum tenebat locum. ... Cùm interfectus fuit ab impiis glorioſus Rex Childericus, tunc inuidus omnium bonorum diabolus festinus insurrexit contra beatum virum. Tunc aduersarij*

ſæuiſſimi, iniqua & falſa conſilia machinantes, vt eum de Sede Pontificali deiicerent. Et ita prævaluit iniquitas eorum, & depoſuerunt eum de Sede ſuâ ſine cauſsâ, & priuatus de honore ſuo abſque culpâ. Poſthæc Faramundum in Cathedram illius conſtituerunt. Electus Dei Landebertus Pontifex perrexit ad monaſterium, quod vocatur Stabolaus, nec amplius in obſequium eius remanſerunt, quàm duo pueri. Qui vnus ex eis Theodoenus multùm nobis de vitâ & operibus eius ſolitus eſt narrare. Hæc ibi, quæ alij deſcripſerunt. Occiſus eſt Rex Childericus anno IↃCLXXIX, cuius videtur S. Lambertus & necis auctores culpaſſe, & filios voluiſſe ad regni ſucceſſionẽ promouere. Contra quos Neuſtrij Theodericum ſibi Regem ſumpſerunt; Auſtraſij Chlodoueum, Chlotharij III creditum filium, eoque reiecto aliquamdiu etiam Theoderićum. Verùm cùm Ebroini non ferrent ſæuitiam, labente anno IↃCLXXX DAGOBERTVM II ad regnum euocarunt. Eiectus eodem videtur anno S. Lambertus, & forſan ab Ebroino, cui poſteriores ſcriptores eius adſcribunt exilium. Nec reuocatus eſt à DAGOBERTO, quòd Eccleſiæ Traiectenſi præeſſet Faramundus, ad eam Sedem, vt ferunt, promotus ab Epiſcopo Colonienſi; qui apud DAGOBERTVM videtur plurimùm gratiâ valuiſſe, vt eum propterea idem Rex iuſſerit ad procurandam Friſonum conuerſionem incumbere. Alioquin S. Lamberto apud Optimates regni, per quos DAGOBERTVS erat ad regnum Auſtraſiorum euocatus, obeſſe poterat affectus erga Childericũ filioſque.

De Cathedrâ S. Lamberto reſtitutâ hæc habentur in eadem Vitâ: *Poſt, ſeptem annis expletis, depoſitus eſt Faramundus de Sede Pontificale, & eiectus de prouinciâ Treiectinſe. In illo tempore erat Princeps Pippinus ſuper plurimas regiones & ciuitates ſitas Europæ. Audita opera beatiſſimi viri, ſub vnius diei articulo iuſſit eum cum magno honore ad propriam Sedem reuocari.* Vitâ functi

cti sunt & DAGOBERTVS Rex, & Vulfoaldus Maior-Domus anno IↃCLXXXVII, & summa regni Austrasiorum præfectura à mense Iunio penes Pippinum fuit: cuius imperio eodem adhuc anno reuersus esse ad Sedem Traiectensem videtur S. Lambertus: quo & Ebroinus est interemptus.

Cædis autem S. Lamberti hæc ibidem occasio narratur: *Cùm Dominus vocasset S Landebertum, vt propter tanta opera dignam ei redderet mercedem, insurrexerunt duo pessimi homines Gaullus, & germanus suus Roldus in aduersitatem eius, & seruientes Ecclesiæ suæ, in tanta opera peruersa, vt nullus eos ferre potuit, nec euadendi erat locus ante illos. Repleti amici Pontificis irâ & tristitiâ, calamitate magnâ compulsi, & humilitate depressi, interfecerunt eos ex merito eorum. In illis diebus erat Dodo, Domesticus iam supradicti Principis Pippini, proprius consanguineus eorum, qui interfecti fuerant. Et erant ei possessiones multæ, & in obsequio eius pueri multi. Cùm audisset necem proximorum, collexit magnam copiam virorum, fortissimos ad præliandum: mox irruit ad interficiendum beatissimum virum Landebertum Pontificem in villâ, cuius vocabulum est Leodio, sitâ super fluuium, qui vocatur Mosa* &c. Vna eademque patratæ à Dodone cædis caussa adfertur in Vitâ à Godeschalco apud Chapiauillæum, atque alterâ à Stephano Episcopo Leodiensi ducentis à S. Lamberti transitu annis conscriptâ.

Oratorium SS. Cosmæ & Damiani, in quo *beatissimus Christi Sacerdos telo transfixus, animam Deo transmisit*, pluribus mox illustratum est miraculis, etiam cæcis illuminatis. Quare, *necdum anni curriculo expleto*, ecclesia in eodem loco extructa est, & magno populi concursu frequentata: in eâque loco corporis Traiectum delati, lectus collocatus est, artubus eius sanctificatus. Ecclesia illa dicitur *basilica S. Lantberti Martyris*, in Historiâ iussu Childebrandi scriptâ cap. 104, &

in Annalibus Metensibus ad annum IↃCCXIV, quo in eâ Grimoaldus filius Ducis Pippini, est interfectus. Sancti viri nomen Fastis sacris inscriptum est. Martyrologium Romanum hoc eum exornat elogio ad XVII Septemb. *Apud Leodium B. Lamberti Episcopi Traiectensis, qui cùm regiam domum Zelo religionis increpasset, à nocentibus innocens occisus, aulam regni cælestis perpetuò victurus intrauit.* Priora verba *de regiâ domo increpitâ*, ex Adone desumpta sunt, reliqua ex Vsuardo. Vti hîc *regia domus*, ita alibi *regnandi & regni* voces tribuuntur Pippino, eiusque hæredibus, qui licet Reges non essent, plusquàm regiâ tamen pollebant auctoritate. Ita in breuibus Francorum Annalibus, vt suprà dictum, *Pippinus senior regnare cœpit.* & Chronicon Hildensheimense an. 688. *Pippinus Dux filius Anschisi post mortem VVlfaldi Ducis cœpit regnare.* Similia in eo habentur ad annum 714, 741, & 747, in Fredegario continuato, & aliis passim. In Annalibus Bertinianis dicuntur *anno* IↃCCXLII *Carlomannus & Pippinus in itinere diuisisse regnum.*

At quænam accenderint *Zelum religionis* in S. Lamberto, vt *aulam regiam increparet*, silent antiquiores scriptores, nisi fuerint contumeliæ & conuicia à Gallo & Rioldo illata, rei familiaris direptio, & intolerabilis ministrorum oppressio: quæ, Dodone eos protegente, contra ius fasque omne dissimulabantur à Principe. Posteriores aliam caussam adiunxerunt. Anselmus Canonicus Leodiensis seculo XI ita scripsit: *Altera fuit caussa, quòd Pippinus Maior. Domus regiæ, face libidinis adulterinæ succensus, memorati Dodonis sororem Alpaidem legitimæ coniugi Plectrudi superinduxisset. De quâ re Sanctus Dei Lambertus, tantum in Principe perhorrescens facinus, adulterini criminis eum arguere non reformidabat.* Hæc ille, quæ posteà aucta adeò sunt, vt etiam asseruerint Plectrudem legitimam vxorem domo eiectam ac repudiatam à Pippino fuisse. Ea suprà confutauimus.

Successit

Succeſſit Lamberto S. Hubertus vltimus Traiectenſium Epiſcopus, primuſque Leodienſium, mortuus anno IↃCCXXVII *feriâ ſextâ* XXX *Maij*. Cuius *corpus ab obitu eius anno* XXI, *Carolomanni ac Pippini fratrum* III Chriſti IↃCCXLIII, *die Dominicâ*, III *Nouembris eſt eleuatum*.

VIII.

Primorum Regum Principumq́, primæ & ſecundæ ſtirpis in eadem Traiectenſi Diœceſi ſedes.

ILlud poſtremò ad eius, quâ de egimus, Diœceſis Traiectenſis gloriam addendum videtur: primis Francorum Regibus in eâ ſedem, Principibus illis, à quibus ſecunda ſtirps Regum orta, poſſeſſiones peramplas domiciliumque fuiſſe. Non ago hîc de B. Pippino, patre SS. Gertrudis & Beggæ, S. Sigeberti Regis Maiore-Domus, qui, vt in Annalibus Metenſibus dicitur, *populum inter Carbonariam ſiluam & Moſam fluuium & vſque ad Freſionum fines vaſtis limitibus habitantem iuſtis legibus gubernabat*. Eius nepos Anſigiſi & S. Beggæ filius Pippinus, Craſſus agnomine, in villâ Herſtallo potiſſimùm habitauit, fortaſſis & ibi natus, vnde & illi Herſtallo, aut Herſtallio cognomentum apud ſcriptores. Quamquàm & aliud habuit ex oppoſito Herſtalli palatium in Iupiliâ villâ, quæ in quodam eius diplomate, citato à nobis ſuprà pag. 162, *villa Bagoloſus* dici videtur. Infra Leodium iacet vicus vterque, cis Moſam Herſtallum, trans eum Iupilia. Hîc palatij locus in modico colle oſtenditur. Quod Herſtalli fuit, aiunt ex eius materiâ pontẽ eſſe conſtructum: at neque palatij nunc, neque pontis veſtigium apparet. Vox ipſa *Herſtal*,

Exercitus ſtabula ſignificat, quaſi iſthic publicum equiſe fuerit. Infra Herſtallum iacet pagus alter *Hermal*, quaſi *Exercitus conuentum* dicas. Iis locis potentiam ſuam firmauêre illi Maiores-Domus regiæ, ac Regum Reges, Pippinus, Martellus, Pippinus Breuis, qui deinde Rex fuit. Magno denique Carolo & Ludouico Pio, Pippini huius filio ac nepoti. Herſtallum quoque in deliciis fuit, ac Aquæ-Grani in eadem dioœceſi (ſed iam tunc Leodienſi) modò vrbs elegans. Aliud in Epiſcopatu eodem domicilium Pippino Herſtallo fuiſſe videtur in Moſariorum diſtrictu, vnde ipſe S. Wironem Epiſcopum *gratiâ confeſſionis diſcalceatus adibat*, vt in huius Vitâ ad VIII Maij dicitur: *nam ſolitus erat illi lubrica lapſus humani detegere.* Ac deinde iſta ſubnectuntur: *Conſultis etiam natu maiorum intereſſe ſæpe accitur, quandoquidem habitus conſilio, nec futilis eloquio.* Non enim exiſtimo bidui triduiúe itinere vel ſanctum virum euocatum Iupiliam Herſtallumúe fuiſſe, vel hinc Principem ad eum fuiſſe profectum. Erat autem S. Wironis monaſterium ad Ruram flumen, leucâ vnâ ſupra Ruremundam, de quo eadem Vita: *Pippinus B. VVironem mox inter ſuos honoratum, cunctiſq; venerandum locauit, eiuſq; ſanctitati ſe committens, cum ſummâ veneratione vt Patronum excoluit. Locum namq; remotum à mundi negotiis Dux ipſe præfatus prouidens in futurum B. VVironi conceſſit ad manendum, quò liberiùs cum ſuis inibi cæleſtes caperet fructus. Qui locus ore vulgi Mons Petri dicitur, in quo oratorium S. Mariæ ſemper Virginis Deiq; Genitricis honore conſtructum & conſecratum eſt: nec non S. Petri monaſterium decori operis artificio conſtructum ex lapidibus, quod perdurat in præſens.* Nunc Mons S. Odiliæ appellatur, vbi adhuc pars parietum templi ex lapide impolito viſitur. Præpoſitus illic quondam & collegium Canonicorum fuit, ſed Ruremundam poſteà tranſlatum, vt in Chronico

nico lib. 2 cap. 16 testatur Ioannes Gerbrandus à Leydis & Legenda Sanctorum anno 1485 Louanij excusa. De Herstallo, Iupiliâ, Aquis-Grani superuacanea est longior disquisitio, cùm de iis toties Francorum Annales meminerint.

Antiquorum quoque Regum asserenda huic Diœcesi habitatio est. Chlodionem sanè, siue Chlogionem, scribit S. Gregorius Turonensis *apud Dispargum castrum habitasse*. Quæritur vbi terrarum id fuerit. Conuenit inter plerosque, *Dispargum* cuiuspiam librarij incuriâ scriptum, pro *Dispurgo*, siue *Disburgo*, vt est in Teutonicâ linguâ facilis mutatio tenuium litterarum in medias, aut etiam aspiratas, P in B vel F. *Dispargum* igitur, siue *Disburgum*, censent Germani nonnulli *Duisburgum* esse, oppidum Cliuensis Ducatus, haud longè ab Ruræ amnis in Rhenum influentis ostio. Vir quidam eruditus *in Montensi Comitatu*, (qui *Ducatus* dici debuit, quo à trecentis ferè annis titulo gaudet) atque *ex aduerso Coloniæ* locat, velut cum Tuitio in vnum conflans oppidum, cùm distent bidui itinere. Est *Tuitium ex aduerso Coloniæ*, inque eo insigne monasterium à S. Heriberto Archiepiscopo Coloniensi ante annos IↃCL fundatum, cuius Abbas fuit Rupertus, egregiis in sacram Scripturam commentariis clarus, è S. Laurentij iuxta Leodium cœnobio ad illud regendum accitus. Quod verò idem ille scriptor *Duisburgum, olim Deusonis castrum appellatum* scribit, apud neminem veterum legi. Cæsi quidem *Saxones Deusone in regione Francorum* dicuntur in S. Hieronymi Chronico. *Ad Vsonem* legit Pontacus.

Porrò qui *Duisburgum* esse *Dispargum* asserunt, habent, quorum auctoritate nitantur, Gesta Regum Francorum. Hæc repetitâ inde à Troianis origine gentis (vt ferè amant clarorum populorum ornari fabulis initia) per Tanaim flumen, paludesque Mæotidas ad confinia veniisse Pannonia-

rum Francos aiunt, ibiq́ue vrbem *Sicambriam* ædificasse. Dein à Valentiniano Augusto acie victos, *egressos à Sicambriâ venisse in extremis partibus Rheni fluminis in Germaniarum oppidis, illicq́; inhabitasse.* Ac post pauca: *Habitabat itaque Chlodio Rex in Dispargo castello in finibus Toringorum in regione Germaniæ.* Cui veterum nota illa circa Pannoniam *Sicambria?* Fuêre tempore Iulij Cæsaris *Sicambri*, siue *Sigambri, proximi Rheno.* Iidem, qui deinde Franci, aut iis vicini. Ibidem certè Francos statuit S. Hieronymus in Vitâ S. Hilarionis XXI Octobris: *Inter Saxones*, inquit, *& Alamannos gens extat, non tam lata quàm valida, apud historicos Germania, nunc verò Francia dicitur.* Hi Ripuarij Franci fuerunt, quorum regio vbi fuerit, ex ipsâ illorum Lege intelligitur, dum tit. 36 § 4 ita vicinæ iis gentes indicantur: *Si quis Ripuarius aduenam Alamannum, seu Frisionem, vel Baiuuarium, aut Saxonem interfecerit* &c. Eorum deinde metropolis fuit Colonia Agrippina. At Ripuariorum Rex neque Chlodio, neque successor eius Meroueus, aut Childericus fuêre: huius filius Chlodoueus Sigebertum Claudum Regem Colonienſem à proprio filio fraudulenter trucidari curauit, vltusque quod suaserat paricidium, filium interemit, & Ripuarios sibi subiecit.

Ceterùm Gesta illa, quæ citauimus, Regum Francorum sequuntur Rorico monachus, Sigebertus Gemblacensis, Iuo Carnotensis, & nuper M. Antonius Dominicius in Assertore Gallico cap. 5, qui tamen fatetur *auctorem* horum *Gestorum incertum esse, nec semper erroris expertem.* Alioquin non diffitetur Gregorius Turonensis fuisse suo æuo, qui vellent Francos è Pannoniâ adueniſſe, quod ipse neque affirmat, neque refellit. Ita ergo scribit lib. 2 Histor. Franc. cap. 29. *Tradunt multi eosdem ex Pannoniâ fuisse digressos: & primùm quidem littora Rheni amnis incoluisse: dehinc transacto Rheno, Tungriam*

griam transmeasse. Ac paullò pòst: *Ferunt etiam tunc Chlogionem vtilem ac nobilissimum in gente suâ Regem Francorum fuisse, qui apud Dispargum castrum habitabat, quod est in termino Tungrorum.* Non inficior quasdam editiones hîc habere *Thoringiam* & *Thoringorum.* Sed quis capere possit, venisse è Pannoniâ ad Rhenum Francos, eius littora accoluisse, eo deinde traiecto Thuringiam transmeasse, atque in eius termino habitasse? Erant ad Orientale Rheni latus, à quo procùl itidem in Orientem distabat Thuringia. Hanc si petere volebant, inutile erat Rhenum transmittere; nisi si hariolari cuiquam lubet, atque asserere, transmisisse Rhenum, vt dissimularent expeditionem, moxque eo rursus transito Thuringiam petiisse. At neque eâ ratiocinatione conficietur *Dispargũ* fuisse *Duisburgum*, quod procùl à termino Thuringorum distat.

Ex verbis Gregorij Turonensis planè mihi colligi videtur in eâ prouinciâ Belgij, quæ nunc Brabantia dicitur, habitasse. Nam indicato Chlodionis domicilio apud *Dispargum*, ista subnectit: *In his autem partibus, id est, vsque ad meridionalem plagam habitabant Romani vsque Ligerim fluuium... Chlogio autem missis exploratoribus ad vrbem Camaracum, perlustrata omnia, ipse secutus Romanos proterit, ciuitatem adprehendit.* Hæc igitur ciuitas meridionalis erat, *Dispargum* Septemtrionale, inter Batauos nimirùm siue Frisones & Romanos situm, non ad Orientem circa Thuringiæ fines. Et verò quî potuisset ab vsque Thuringiæ limite ita improuisus aduenire, tot vastis fluminibus, Rheno præsertim ac Mosâ, transmissis, ac Romanos iuxta Camaracum obterere? Præsertim si verum esset, quod habent Gesta Regum Francorum; *In illo tempore*, inquiunt, *in his partibus citra Rhenum vsque Ligere fluuio habitabant Romani.* Quî igitur horum omnia pertransiit

præsidia? Fatetur eorumdem Gestorum scriptor alibi sæpiùs cum Romanis cõflixisse, priusquàm Camaracum perueniret. *Chlodio autem Rex*, inquit, *misit exploratores de Dispargo castello Toringorum vsque ad vrbem Camaracum. Ipse posteà cum grandi exercitu Rhenum transiens, multo populo Romanorum prostrato, hostes fugauit. Carbonariam siluam ingressus, Tornacensem vrbem obtinuit, exinde vsque Camaracum vrbem properauit ibiq; paruo tempore residens, Romanos, quos ibi inuenit, interfecit.* Gregorij Turonensis credibilior est narratio, eaque innuit fuisse hanc Chlodionis subitam irruptionem, Romanis nihil tale metuentibus: non ergo tam diffusum terrarum spatium peragrari, ac superari flumina debuerunt, sed vix bidui fortassis iter impendi.

Diximus alibi ex Ammiano, Francos Salios apud *Toxiandriam-locum* sedes fixisse assentiente Iuliano Cæsare. Duabus leucis à *Toxiandria-loco*, vulgo *Tessenderloo*, distat *Diesthemium* Brabantiæ oppidum, quod ego *Dispargum*, siue *Disburgum*, esse omnino autumo. Adstipulatur Godefridus Wendelinus I. V. D. atque illustris Ecclesiæ Tornacensis Canonicus & Officialis in eruditis ad Legem Salicam commentariis pag. 99 ita scribens: *Est verò iam alterum Diesborch, oppidum dudum amplum atque insigne: vtpote cui nihil eorum deest, quæ ad Aulæ regiæ maiestatem poscuntur, non agri, non prata, non siluæ, non paludes, non venatio, non flumina, non piscatio, non vineæ.... Et istud est reuerà hoc ipsum, de quo Gregorius loquitur* DISPARGVM *castrum, quod stetit in vrbis inferiore parte, cliuo saxoso, ambitu pedum* 3000, *altitudine* 70. Idem paginâ sequenti: *Cùm mœnium ambitus, quibus nunc cingitur oppidum, satis sit laxus, duos Burgos complectitur, quorum maior in edito est monte, vocaturq; Kakenborch... At verò Burgus alter (Dief-burch) minor quidem est illo Kakenburgo: neque enim mons est, sed cliuus*

tantùm

tantùm oblongus, saxeus, in abruptum præcipitium desinens, ambitu, sicut dixi, pedum 3000, altitudine pedum 70, quomodò istud obseruaui: sed amœnitate loci propter fluuium proximum Tameram, prospectumq; in siluas, vineas, agros ac prata vtrimque lætissima, paludesq; piscosissimas, dignum profectò Principibus domicilium: vt, si Faramundus, per ista Francorum prima exordia, locum vllum voluerit deligere, non alium debuerit quàm hunc ipsum in totâ Taxandriâ, vel etiam Hasbaniâ, exoptare, vbi Regnum posset auspicari, ac filio Chlodioni excipiendum relinquere, quod anno CCCCXXVIII *fecit. In illo ergo Dispargo castro Regia fuit pro Germanicis moribus Germanica, Francica, hoc est, rudis atque incondita, lignea quippe, nec nisi subter in fundamentis lapidea vel saxea, quorum magnitudo ac moles cum vestigiis cauearum superest hodieq;.*

Fuit igitur Burgum primùm, id est, castrum, quod, siue quia Marti sacrum, siue à fundi Domino, siue ab habitatore *Diestburgum*, siue *Diestpurgum*, est appellatum. Nam diphthongus *ie* Brabantis idē sonat quod i longum. Cùm adiectis pluribus ædificiis in oppidum excreuisset, Diest cœpit appellari: pars ea, vbi steterat castrum, *Burgum* dictum. Idem in *Antuerpiæ* nomine licet obseruare. Primùm dicta *Burcht-aen de-vverf*, id est, burgum ad crepidinem siue ripam. *VVerf* enim dicimus locum iactis in flumen molibus præmunitum, vt commodè appellere naues possint, aut simpliciter ripam. Constat enim ex veteribus monumentis Equestrem familiam *van de VVerue* in hac vrbe *à Ripâ* olim cognominari. Cùm ergo adiectis ad castrum domibus ampliari cœpisset, hoc solùm *aen de VVerf*, vel *aen-de VVerp*, siue *Andouerpum* dictum, *Burgi* nomine remanente in hanc diem ei parti, quæ castro continebatur. Idem *Dieſt-burgo* euenisse videtur, vt oppidum *Dieſt* nuncuparetur, Burgi nomen parti, vbi castrum fuerat, adhæreret. Aut certè, more nostratibus

tibus vsitato, dimidiatum, vt breuiùs pronunciaretur, nomen. Ita, quæ *Rhenoberga* nobis dicitur, *Berck* accolis est. Pro *Maestricht*, Traiecto ad Mosam, *Tricht* dicunt ciues ac finitimi; pro *S'Hertoghen-Bosch* Silua-Ducis, pleriq; Brabanti *den Bosch*, Silua. Ita quæ initio forsã *Diestheim*, quasi Disonis domus, dein *Diestburg*, Disonis castrum, atque vsu vulgi *Diest* est appellatum. Multa autem circa Diesthemium vestigia Saliorum Francorum extant, vnde colligere possimus illic *Dispargum* regium castellum seu palatium fuisse, recensita ab eodem Wendelino. Tres pagi vbi Lex Salica conscripta, *Salheim*, quod Saliorum domicilium sonat, *Bodersheim*, & *VVindershouen*: tum prope Diesthemium Salicus vicus, *Selck*; & prata Salica, *Seelbemde*, nec non & agri inter Herkam & Halam oppida *Vranckryck*, id est, Francorum regnum, dicti.

Alia V. CL. Ioanni Iacobo Chiffletio in Anastasi Childerici super *Dispargo* sedit sententia: Castrum illud fuisse in pago, qui Louanium inter & Bruxellam ferè medius iacet, ac *Dusborch* appellatur. Fuisse eum locum tunc, si non in Diœcesi Tungrensi, certè ab eius limite non procul. Diestenses quoque negare, qui in oppido suo est Castri veteris locus, *Disburgum* dici, sed *Burgum*: cuius rei à nobis iam examinata ratio est. Sigillo autem, quo pagi Dusburgensis Scabini ab omni memoriâ signare chartas soliti sunt, ait castri figuram exprimi, circùm adscriptis hisce verbis: S. SCABINORVM DE DVSEBORCH. *Supereſſe viros ſenes ac fide dignos, qui viderint rudera & veſtigia veteris caſtri. Referre loci Paſtorem ex antiquis monumentis, ducentis ante Furam annis Disburgum illud Ducum Brabantiæ caſtrum fuiſſe.* Demum *per militarem viam, quæ per Angiam* (siue Edingam) *Athum & Lutoſam, Tornacum ducit*, Chlodionem instituere iter potuisse. Quę argumenta haud-

quaquàm

quaquàm tantum apud me habent ponderis, atque illa, quæ Wendelinus circa Diesthemium extare vestigia Saliorum Francorum scribit: ad quæ *Toxiandriæ-loci* vicinitas accedit, vbi olim consedisse eos constat. Neque vox *Duseborch Disburgo* ita affinis: aliud enim *Dis* vel *Dies*, aliud *Duse*. *In termino Tungrorum* fuisse *Dispargum*, scribit S. Gregorius Turonensis, ditionis videlicet, quæ ad Betbasios, & forsan aliquãtò vltra, pertingebat: longiùs multò Diœcesis, de quâ non meminit Gregorius. Quale porrò in eo pago extitit castrum, innumera sunt passim per totum Belgium. Nam quòd Ducum Brabantiæ castrum id dicatur ducentis ante Furam annis fuisse, nihil admodùm ad rem facit. Annis ferè sexcentis priùs Disburgi Chlodio habitauit, quàm vlli essent Brabantiæ Duces, quorum potestatem post annum millesimum demum vsurpauêre Comites Louanienses, ex Montensium Comitum, siue Hainoënsium Ducum (nam vtroque titulo compellati olim) stirpe exorti. Vellem tamen Vir Eruditissimus, laudata sibi à Pastore Duiseburgensi monumenta, inspicienda poposcisset. Forsan certiora inde eruisset: forsan etiam ea explosisset; si præsertim ridiculam Ducum nostrorum antiquitatem statuerent: vti statuit Christianus Massæus, qui Petrum Taboreũ & Ioannem Marium secutus, vt profitetur lib. 13 Chronicorum mundi pag. 186, catalogum Ducum Brabantiæ collegit, inque eo vetustissimum adstruit nomen Montis-frigidi, in quo ædificatum Caudemburgense iuxta Palatium in vrbe Bruxellensi monasterium est, ex cuius archiuo edidit Chifletius iconismum sigilli Duseborch, eiusque pagi asserit Pastorem à Præposito istius monasterij constitui. Hæc ergo excerpo ex Masseo: *Godefridus, cognomento Carle, Rex Tungrorum, genuit Carolum Inach, qui Romanos iuuit in bello Mithridatico. Rapuit filiam Iulij*

Proconsulis Arcadiæ: cum quâ fugit per Franciam Cameracum, vallemq; Cygnorum ad Montem frigidum apud Bruxellam. Genuit Octauium & Zuanam, quam Saluius Brabo vxorem duxit Louanij in templo Martis & Plutonis præsente Iulio Cæsare: qui dedit ei omnem terram à mari Noruuego vsque ad Tornacum & Scaldam, Hannoniam, siluam Carbonariam, titulo Ducatus Brabantiæ. Brabo gigantem occidit, obid Marchio Antuerpiæ primus creatus sacri Princeps Imperij: occisus Romæ in conspiratione contra Cæsarem.
Eiusmodi multa in quibusdam Chronicis reperiuntur, quæ tum nemo alius, qui quidquam iudicij habeat, probauerit; tum ego sanè malim fateri me nihil scire, quàm alio loco illa habeam, nisi vanissimarum fabularum. At si ab illo Pastore citata monumenta certis nitantur tabulis publicorum edictorum aut testamentorum, pactorumúe (quod nemo sagaciùs expendere quàm Chifletius potest) libenter cuiusmodi sint addiscerem us. Satis tamen ratione exploratum videtur, non posse ea Chlodionis habitationem illi loco vindicare. Neque Chlodionem existimo per confinia illa Scaldis ac præsidiorum Romanorum iter instituisse. Campi ingentes Hasbaniæ, Brabantiæ Gallicanæ, vt nunc appellatur, & Hannoniæ, multò erant & à periculo remotiores, & ad celeritatem itineris aptiores. Si autem ad penetrandam Carbonariam siluam insistere viæ militari oportuit, expeditior erat, quæ Aduatucâ Tungrorum Bauacum Neruiorum ducebat, in quam vspiam ingredi circa hodiernum Hannoniæ limitem cum copiis poterat. At solùm ista adfero, vt ostendam non imponi mihi, aut cuiquam, qui mecum antè senserit, prioris sententiæ retractandæ necessitatem: quod alioquin ingenuè facerem, fatererque, si mihi certior veritatis lux affulgeret.

IX *Epilogus*

IX

Epilogus. Lectoris compellatio.

AD extremũ Te, LECTOR ERVDITE, obteſtor, DAGOBERTO vt meo faueas, ſecundo (inquam) illi Auſtraſio, quem ab exilio in regnum, gloriæque plurimis benefactis partæ poſſeſſionem, reſtitui. Nolui Te ſub exordium ſcriptionis orare hanc gratiam, ne precariò extorta potiùs, quàm illius merito obtenta videretur. Ne autem denuò in Hiberniam relegetur, regnoque exturbetur, haud arbitror magnoperè nunc eſſe metuendum. Niſi ſi quis cæco impetu inceſſere quoſuis, nullâ etiam ex cauſsâ, velit. Certè hæc dum eſſet ſub prælo Diatriba, venit in manus meas *Genealogiæ Francicæ plenior aſſertio, auctore Dauide Blondello*, in quâ is folio LXXII ita Io. Iacobum Chifletium arguit: DAGOBERTVM *paruulum, quem Grimoaldus* CONTINVO POST SIGIBERTI REGIS MORTEM *tonderi & in Scotiam deportari iuſſerat, regio, quem numquàm geſtauit, titulo temerè inſignit.* Vbi is prælegi ſibi noſtra (quia captus oculis eſt) curauerit, mutabit, opinor, ſententiam. Atque etiam, licet, vt exiſtimauit Chifletius ac ceteri ſcriptores, reuerſus è Scotiâ ad regnum numquàm fuiſſet DAGOBERTVS; tamen Regis primogenitus, mox vt ille obierat mortem, verè in ius regium legitimus hæres ſuccedebat: eſtque è ſolio abſtractus ac relegatus. Numquàm enim auderet Blondellus aſſerere, (ni ſe maieſtatis vellet crimine alligare) Francorum Reges non illicò in vacuum ius regni, etiam infantes atque in cunis iacentes, ſuccedere, etſi ſub Procerum matrumúe tutelâ ad legitimam ætatem permanere cogantur. Eodem iure Sigebertus Theoderici

Austrasiæ & Burgundiæ Regis filius, Childeberti nepos, patre mortuo verè Rex fuit, etsi fortassis numquàm inauguratus, ac proinde iure potuit idem Chifletius S. Sigebertum DAGOBERTI nostri patrem, tertium eius nominis appellare, gnarus inaugurationem fortassis ad regni moderanda gubernacula, non etiam ad ius adeundum regni, titulumque Regis, requiri. Quod immeritò idem Blondellus reprehendit.

Aliis in rebus Te, LECTOR, velim DAGOBERTI honori fauere. Primò, vt, quæ alia eius repereris diplomata, signatasque ab eo eiusúe tempore tabulas, si quæ opera eius, certis testata monumentis, si quæ auctorum de rebus ab eo gestis testimonia, ea nobiscum communices. Sed potissimùm si quid erueris, vnde constare possit, hunc eum esse, cuius est Sathanaci Cælitum honoribus consecrata memoria. Valdè ego quidem in eam sententiam inclinabam, sed tantum mihi ausus non sum auctoritatis arrogare, id vt iudicio meo definirem. Qui plus viderit, magnam à nobis gratiam inibit, si significet. Denique si quid in hac meâ commentatione repereris, quod tibi videatur cum aliis veteribus certisque monumentis minùs concordare, liberè me moneas, gratias ingenuè habiturum atque emendaturum.

Si quid autem palàm scripto refellere, siue ex professo, seu casu ita ferente, volueris, neque impedire id possum, nec volo deprecari. Illud stipulari iure licet, ne scriptum hoc meum refellas, nisi legeris. Quâ in re mihi aliàs iniuriam, ac sibi etiam maiorem, fecit quidam, disertior forsan orator quàm peritior historicus, qui aduersùs meam de Traiectensi Episcopatu & Episcopis Diatribam libellum edidit (absque suo tamen nomine, quod nec ego hîc aperiam, licet neutiquam ignotum mihi sit) ac multa obiecit in eo

mihi,

mihi, quæ non scripseram. Nam pag.12 scribit, *nouitate non tolerabili in dubium* à me *reuocari, fueritne idem D. Maternus Treuirensis ab D. Petro submissus*, & primus Præsul Tungrensis. Si mea legisset, numquàm ita scripsisset. Cùm enim tres scriptores, quos defendere se velle profitetur, nullum Tungris Episcopum fuisse ante S. Seruatium verè Tungrensem velint, sed Treuirenses solùm illic Euangelium prædicasse, sacraque administrasse; ego verè omnes illos fuisse Tungrenses Episcopos contendi, siue vtramque Sedem simul rexerint, siue priùs Tungrensem, dein Treuirensem, seu denique aliqui fortassis Tungrenses solùm fuerint, non Treuirenses: vti de S. Martino innuit Martyrologium Romanum XXI Iunij. S. Maternum S. Petri discipulum, Apostolum & Episcopum Tungrorum asserui fuisse, ac fortassis, vt Coloniæ, alium posteà eiusdem nominis Episcopum. Non legit itidem, quâ ego ratione Borboniorum temporum & Haidrotiorum mentionem fecerim. Nam cùm alius quidam scriptor dixisset, Leodium præhabitum Traiecto, quia minùs aduersùs Episcopos illic tumultuum, quàm Traiecti motum iri præsagirent sancti illi Præsules, qui Sedem transtulerunt; ostendi nullas proferri excitatas Traiecti seditiones, multas extitisse Leodij. Hîc ille inuidiosissimè, *omni Leodiensi nationi* ea obiici conclamat, ac vicissim ingerit, quę Louanij, Bruxellis, Gandaui, Brugis aduersùs Principes motæ conspirationes. Quid illæ ad Traiectenses attinent? Quid ad Episcoporum securitatem? Cur non Vltraiectensium attulit contra suos Antistites tumultus, magis iis, quos nos tetigimus, affines? Nec nos *omni nationi* ea *obiecimus*. Scimus semper in illis tumultibus maiorem esse proborum numerum, insolentiorem paucorum audaciam. Pag.20 & 21 penè ad nauseam inculcat Episcopos Leodienses seipsos *Tungren-*

ſes appellaſſe, atque illud omittit, in quo præcipuam eſſe vim oſtendi, quòd iidem qui ſe *Tungrenſes* ſcribebant, eos, quos ego verè Traiecti ſediſſe affirmo, *Traiectenſes* perpetuò appellarint. Denique illa è triuio ingerit conuicia pag. 9, quòd vni cuipiam è Societate, *decori meiq; non ſatis memor, plagij* crimen obiecerim: idemq́ue pag. 24 denuò inculcat, nec ſatis cauiſſe me, quæ aliis obieci. *Si plagij* nomen vel res in totâ illâ Diatribâ à me expreſſa eſt, non recuſo quin ipſe iſta verè ſcripſiſſe exiſtimetur. At ſi nihil tale inueniri poteſt, fateatur ipſe oportet, ſe vel non legiſſe quod ſcripſi, vel finxiſſe quod refelleret. Vſque adeò autem lege *plagij* ipſe non teneor, vt ferè nimiùm abierim in contrarium; monitus ſæpe ab amicis, quòd, ingenuè licet, nimis tamen crebrò, exponam, à quibus acceperim, aut didicerim, quæ ſcribo. Quod ſpondet fore vt oſtendatur, non ab Vrtâ Eburones dictos, nec Aduatucam Eburam eſſe, ſed Vatucam, quæ Aduatuca dici non debuerit, id auidè expectamus. At numquàm vel ipſe vel alius euincet contra Cæſarem, ipſiuſque Ambiorigis teſtimonium, *Eburones Rhenum inter ac Moſam latè tetendiſſe*. Cetera, quæ ad ipſam Epiſcoporum hiſtoriam ſpectant, refutauimus ad Vitam S. Amandi VI Februarij.

Vale lector, & mirari deſine, quòd non tam citò ac vellent multi, vniuerſum noſtrum de Sanctorum Actis opus prodeat in lucem, cùm ſingulorum Acta Sanctorum, quoad licet, ſeu Gallorum, ſeu Germanorum, ſiue Anglorum aut Hiſpanorum, ſeu Græcorum aut Syrorum, aut quacumque aliâ ex gente, pari atque hæc ſtudio accuremus.

INDEX

INDEX

CHRONOLOGICVS.

An. Chr. 1 — *Era vulgaris, siue Epocha communis annorum Christi incipit* Cos. C. Cæsare & L. Æmilio Paullo. pag. 4

346 *Synodus Colonien sis habita, cui interfuêre Amandus Argentinensium, Ieſſes Nemetum, Victor Vangionum Episcopi.* 218

384 *S. Seruatius Episc. Traiectensis moritur.* 222

395 *Theodosius Magnus Imp. moritur, an mense Iulio? sepelitur 8 Nouemb.* 12

Annus 1 Imperij Arcadij & Honorij secundùm Idatium. 12

396 *Annus 1 Imperij Arcadij & Honorij secundùm Prosperum, Orosium, Gregorium Turon.* 12 13

397 *S. Martinus Ep. Turon. obit.* 13

509 *Chlodoueus 1 moritur 27 Nouemb.* 13

525 *Epocham vulgarem circa hoc tempus excogitauit Dionysius Exiguus Abbas.* 5

533 *Theodericus 1 Rex Austras. moritur.* 172

540 *S. Vedastus Episc. Atrebatensis moritur.* 8

561 *Chlotharius 1 moritur.* 13

Annus 1 regni Chilperici, Gunthramni & fratrum secundùm Fredegarium. 16

562 *Annus 1 regni Chilperici, Gunthramni & fratrum secundùm Gregorium Turon.* 13 16 17 18

573 *S. Gregorius historicus fit Episcopus Turonensis.* 15

575 *Sigebertus 1 Rex Austrasiorum moritur.* 13

576 An-

576 *Annus* I *regni Childeberti Regis Auſtraſ.* 13 16 17 18
584 *Chilpericus Rex obit.* 17
Annus I *regni Chlotharij* II. 17
587 *S. Radegundis Regina obit.* 14
Leouigildo Regi Hiſpaniarum mortuo ſuccedit Recaredus filius. 17
588 *S. Agericus Epiſc. Virdunenſis moritur.* 230
Charimerus ordinatur Epiſc. Virdunenſis. 230
590 *S. Gregorius Magnus creatur Pontifex.* 14
591 *S. Sulpitius Seuerus Epiſc. Bituric. moritur* 29 *Ianuar.* 200
592 *Eclipſis Solis* 18 *Martij.* 18
593 *S. Gunthramnus Rex Burgund. moritur.* 18 19
Annus I *Childeberti apud Burgundiones.* 19
596 *Childebertus Rex Auſtraſ. & Burgund. obit.* 19
Annus I *Theodeberti Regis Auſtraſ. & Theoderici Regis Burgund.* 19
601 *Agilio, ſiue Aguilfus, Epiſcopus Metenſis excipit S. Laurentium Archiep. Cantuarienſem.* 232
602 *Mauritio Imp. interfecto ſuccedit Phocas.* 20
S. Euſtaſius Ep. Bituricenſis moritur 31 *Decemb.* 200
603 *Aridius Epiſc. Lugdunenſis ſucceſſor Secundini.* 211
611 *S. Apollinaris Epiſc. Bituricenſ. menſe Octob. moritur.* 201
612 *Theodebertus R. Auſtraſ. obit.* 20
613 *Theodericus R. Burgund. & Auſtraſ. moritur.* 20 172
Chlotharius II *monarcha Francorum,* 20
Ioannes Epiſc. Conſtantienſis. 31
614 *Concilium Pariſienſe* 79 *Epiſcoporum.* 195
616 *Hermenfridus Epiſc. Virdunenſis moritur.* 230
Godo conſtituitur Epiſc. Virdunenſis, qui Remenſi Concilio ſubſcripſit. 230
619 *Bertetrudis mater* DAGOBERTI I *moritur.* 23

621 DA-

621 DAGOBERTVS I *Rex Austras. creatur.* 23
622 *S. Modoaldus constituitur Episc. Treuirensis.* 224
623 *Samo, fortè Belga, fit Rex Sclauorum.* 36
624 *S. Austregisilus Ep. Bituricensis moritur* 20 *Maij.* 201
S. Sulpitius Pius creatur Ep. Bituric. qui interfuit Concilio Remensi. 201
Concilium Remense XLI *Episcoporum sub Sonnatio Archiepiscopo hoc anno aut initio sequẽtis sub Chlothario* II. 195 199
625 DAGOBERTVS I *ducit Gomadrudem vxorem.* 24
626 *Priuilegium à* DAGOBERTO I *datum Ecclesiæ VVormatiensi de Lupoduno* 27 28 29
DAGOBERTI *Referendarius Godefridus.* 28 43
S. Amandus II *Episcopus VVormatiensis.* 28 30
Senocus Episc. Elusanus, qui interfuit Remensi Concilio, eiicitur in exilium. 199
628 *Chlotharius* II *Rex Franc. moritur.* 33
DAGOBERTI I *annus* I *apud Neustrios & Burgundos.* 37
Charibertus frater DAGOBERTI *Rex Aquitaniæ.* 33
630 *S. Arnulphus relicto Episcopatu Metensi, hoc aut sequenti anno secedit in eremum.* 232
631 *S. Amandus impetratis à* DAGOBERTO *litteris prædicat Gandaui.* 35
632 *Diploma* DAGOBERTI *pro Abbatiâ S. Maximini.* 34
DAGOBERTI *Referendarius Henricus.* 34 43
633 *S. Amandus è Belgio abit ad Samonem Regem Sclauorum conuertendum.* 36
634 DAGOBERTVS *repudiata Gomadrude, accipit Nanthildem vxorem* 38
635 DAGOBERTVS *sedem regni collocat Parisiis.* 39
S Sigebertus nascitur. 39 63
636 *Chariberto Rege Aquitaniæ eiusq; filio mortuis* DAGOBERTVS *fit*

fit monarcha. 39
Bellum gerit cum Samone Rege Sclauorum. 39 40
Chrodobertus Referendarius Dux belli. 43
Blandinium monasterium conditur. 8
637 *S. Desiderius ordinatur Episc. Cadurcensis.* 198
638 *S. Sigebertus fit Rex Austrasiorum.* 40
S. Goëricus transfert corpus S. Arnulphi Metas. 232
639 *Chlodoueus* II *nascitur.* 41
S. Audoënus Referendarius DAGOBERTI. 43
641 *Chadoindus Referendarius Dux exercitus contra Vascones.* 45
644 DAGOBERTVS I *moritur* 19 *Ianuarij.* 47
Chlodouei II *annus regni* I. 47
S. Sigeberti annus regni I *in ditionibus Aquitaniæ & Prouinciæ.* 198
646 *SS. Audoënus & Eligius ordinantur Episcopi* 14 *Maij.* 48
Fossatense monasterium fundatur. Primus Abbas S. Babolenus. 151 202
Erchinoaldus Maior-Domus Chlodouei II. 51
S. Ioannes Agnus Episc. Traiecten. moritur. 234
S. Amandus constituitur Episc. Traiecten. 234
647 *Fredegarius auctor coæuus finit Chronicon.* 21 51 52
649 *S. Paulus Episc. Virdunensis moritur* 8 *Februarij.* 230
Gisloardus fit Episc. Virdunensis. 230
650 *Concilium Cabilonense sub Chlodoueo circa hoc tẽpus.* 202 203
S. Sigebertus Rex circa hoc tempus ducit Imnechildem vxorem. 63
S. Agilbertus Saxonum Occidentalium in Britanniâ constituitur Episcopus. 205
S. Amandus Romam ad S. Martinum Papam proficiscitur 234
S. Remaclus creatur Episc. Traiectensis. 235
S. Trudo à S. Remaclo mittitur Metas ad S. Chlodulphum Episc.

piſc. 232
S. Amandus cum SS. Landoaldo, Amantio aliiſq; Româ in Belgium redit. 234
654 *S. VVandregiſilus fundat Fontanellenſe monaſterium Kal. Martij.* 212
657 *S. Bauo moritur.* 8
659 *Radebertus Maior-Domus Chlodouei* II. 53
S. Trudo Metis redit ad S. Remaclum Epiſc. Traiectenſem. 233
660 *S. Remaclus relicto Epiſcopatu Traiectenſi Stabulaum migrat.* 236
S. Theodardus ordinatur Epiſc. Traiectenſis. 236
S. Deſiderius Epiſc. Cadurcenſis moritur 19 *Nouemb. ſub S. Sigeberto Rege.* 198
662 *Chlodoueus* II *obit, exiſtente Maiore-Domus Ebroino.* 53 54
Annus I *Chlotharij* III. 54
663 *S. Sigebertus Rex moritur Kal. Februar,* 64, 65.
DAGOBERTVS II *in Clericum tonſus in Hiberniam mittitur.* 65 66
Childebertus filius Grimoaldi ſit Rex Auſtraſiorum. 67
664 *Childericus creatur Rex Auſtraſiorum ſub tutelâ Imnechildis amitæ, matris* DAGOBERTI *expulſi.* 68
Grimoaldus interimitur. 68
664 *S. VVilfridus ab* Agilberto *tunc Pariſiorum Epiſcopo conſecratur Epiſcopus Eboracenſis.* 206
668 *S. Theodorus* Archiep. *Cantuarienſis Romæ ordinatus, ab* Agilberto *Pariſienſi Epiſcopo excipitur.* 206
670 DAGOBERTVS *redit circa hoc tempus ab exilio ad regnum Adrhenanum.* 71
S. Hildulphus circa hoc tempus Epiſc. Treuir. 227
Sigobrandus circa hoc tempus Epiſcopus Pariſiorum. 206
672 *Diploma Childerici ſignatum ab Imnechilde & Bilichilde*

Reginis, datum Stabulao & Malmundario. 73 74
S. Theodardus Episc. Traiecten. iussu Childerici Regis possessiones Stabulai & Malmundarij designat. 236
673 *S. VVandregisilus Abbas Fontanell. moritur.* 212
S. Lantbertus creatur Abbas Fontanell. 213
675 *S. Autbertus Episcopus Cameracensis obit* 13 *Decemb.* 79
Chlotharius III *sub huius anni finem, aut initio sequentis, mortuus est.* 59 79
676 *Theodericus Rex Neustriæ.* 79
Vindicianus creatur Episc. Cameracensis, 79 139
Childericus Monarcha Francorum. 79
S. Theodardus Ep. Traiect. Martyr occumbit 10 *Septemb.* 236
677 *S. Lambertus consecratur Episc. Traiectен.* 237
Chrodoberto Episcopo Parisiensi mittit S. Audoënus Vitam S. Eligij sub Childerico monarchâ. 207
678 *S. VVilfridus è Sede Eboracensi pellitur.* 133
679 *Imnichildis mater* DAGOBERTI II *adhuc viuebat.* 81
Childericus Rex occiditur æstate. 81
Theodericus regnum recipit. 81
Chlodoueus creditus Chlotharij III *filius, ab Ebroino assumitur in Regem Austrasiorum.* 81
S. Leodegarius capitur, oculis euulsis seruatur apud VVaymerum. 236
S. VVilfridus exul in Frisiam venit. 82 236
680 *S. VVilfridus tempore verno venit ad* DAGOBERTVM II, *qui illi Episcopatum Argentoratensem obtulit.* 82 236
Concilium Romanum sub S. Agathone Papâ CL *Episcoporum, inter quos S. VVilfridus.* 236
S. Lambertus eiicitur in exilium. 238
Faramundus intrusus in Cathedram Traiectensem. 238
DAGOBERTVS II *Rex Austrasiorum creatur.* 92
S. Leodegarius ex ædibus VVaymeri in Austrasiâ abductus, seruatur

seruatur biennio in monasterio. 137
Concilium VI *Oecumenicum contra Monothelitas Constantinopoli mense Nouembri inchoatum.* 236
681 *S. Amandus testamentum suum signat.* 8
682 *S. Leodegarius, linguâ exectâ, seruatur biennio à S. VVaningo in monasterio Fiscano.* 137
684 *Diploma monasteriis Stabulæ & Malmundario à* DAGOBERTO II *signatum.* 95 96 99
Concilium Episcoporum Galliæ in Villâ regiâ. 137
S. Leodegarius occiditur 2 Octobris. 137
S. Genesius Episc. Lugdun. 1 Nouemb. moritur. 211
S. Lantbertus fit Episc. Lugdun. 211
S. Ansbertus creatur Abbas Fontanell. 213
685 *Iustinianus Rhinotmetus incipit imperare.* 7
686 S. IRMINA *filia* DAGOBERTI II *fundat monasterium Horreense Treuiris.* 107 111
687 *Historia iussu Childebrandi scripta, & Fredegarij Chronico annexa, incipit.* 53
DAGOBERTVS II *obit, sepelitur Rotomagi.* 131 133
Vulfoaldus Maior-Domus obit. 132
Pippinus Herstallus succedit mense Iunio. 132
S. Lambertus reuocatur ad Sedem Traiectensem. 239
Victi prælio Pippinus & Martinus Duces. 138
Martinus Dux perfidè ab Ebroino occiditur. 138
Ebroinus ab Hermenfrido confoditur. 138
688 *S. Leodegarij corpus Victauos transfertur mense Martio.* 138
VVarado Maior-Domus Neustriæ. 138
Pax inter Austrasios & Neustrios. 138
Gislemarus patre supplantato Maior-Domus. 138
Bellum inter Austrasios & Neustrios, 138
Gislemarus moritur. 139

689 *VVarado iterum Maior-Domus.* 139
Pax inter Austrasios & Neustrios Coloniæ facta. 139
S. Audoënus moritur 24 Augusti. 139 213
VVarado Maior-Domus obit. 140
690 *Bertharius Maior-Domus Neustriæ.* 141
691 *Theodericus Rex Textricij à Pippino victus.* 141
Bertharius occiditur. 141
692 *Diploma Stabulao & Malmundario à Rege Theoderico circa hoc tempus signatum.* 141
692 *Rotomagense Concilium sub S. Ansberto.* 215
693 *Corpus S. Audoëni transfertur.* 216
694 *Theodericus Rex moritur.* 145
Chlodoueus III *Rex Francorum.* 147
695 *Diploma Stabulao & Malmundario à Chlodoueo* III *signatum.* 148 150
698 *Chlodoueus* III *Rex moritur.* 147
Childebertus eius frater Rex Francorum. 154
700 *S. Basino Episc. Treuirensi circa hoc tempus mortuo succedit S. Lutvvinus.* 227
701 S. IRMINA *donat varia Epternacensi monasterio.* 112 114
705 *Pippinus & Plectrudis beneficia præstant Ecclesiæ Virdunensi.* 159
707 *Ab hoc tempore Annales Francorum per annos Christi olim digesti.* 5
Pippinus & Plectrudis fundant Floriacum monasterium in pago Velocassino. 160
708 *Drogo filius Pippini moritur.* 160
709 *Pippinus & Plectrudis dant possessiones Epternacensi monasterio.* 114 115
711 DAGOBERTVS III *succedit patri Childeberto.* 157
714 *Grimoaldus filius Pippini occiditur.* 161

Pippinus

Pippinus æger donat Sustéram S. VVillibrordo, signante Plectrude pro marito mense Martio. 162
Pippinus moritur 16 *Decembris.* 162
Theobaldus filius Grimoaldi fit Maior-Domus. 164
715 DAGOBERTVS *suggerente Theobaldo Maiore-Domus factam Fontanellensibus donationem signat* 9 *Iunij Dominicâ.* 168
Pugnatum DAGOBERTVM *inter & Theobaldum in Cociâ siluâ.* 164
Raganfridus fit Maior-Domus DAGOBERTI. 164
DAGOBERTVS III *moritur.* 164
Chilpericus filius Childerici, Daniel dictus, fit Rex Francorum. 167
716 *Diploma à Chilperico Corbeiensibus signatum* 29 *April.* 169
Bella gesta inter Chilpericum & Carolum Martellum clade vtrimque acceptâ. 170
717 *Chilpericus Vinciaci* 21 *Martij victus fugit in Aquitaniam.* 170
S. Rigoberto in exilium pulso, Milo constituitur Episc. Remensis, qui & Treuirensis fuit. 228
718 *Chlotharius* IV *à Martello Rex creatur.* 171.
Chilpericus iterum vincitur à Martello. 171
Chlotharius Rex moritur. 171
719 *Childericus ab Eudone Duce Aquitaniæ traditur Martello.* 171
720 *Childericus Rex moritur.* 172
Theodericus, fortè eius frater, Rex Franc. 172
727 *S. Hubertus Episc. Traiect. & Leodien. moritur* 30 *Maij.* 341
730 *Hugo Episc. Parisien. Rotomagen. & Baiocassinus, & Abbas Fontanellensis sanctè moritur.* 209
Beda ad annos Christi digerit circa hoc tempus Historiam Anglicanam. 5

731 ADE-

731 ADELA *filia* DAGOBERTI II *facit testamentum pro monasterio Palatiolo.* 127 129
734 *Heddo creatur Episc. Argentoratensis.* 221
737 *Theodericus Rex moritur.* 173
Carolus Martellus absque Rege imperat. 174
741 *Carolus Martellus obit mense Octobri.* 174
Carlomannus & Pippinus absque Rege succedunt. 175
743 *Childericus vltimus in Regem assumitur.* 175
S. Huberti corpus eleuatur 3 Nouemb. 341
744 *Concilium Suessione habetur.* 175
749 *Burchardus Herbipolensis Episc. mittitur ad S. Zachariam Papam pro Pippino.* 177
750 *Pippinus à S. Bonifacio vngitur in Regem.* 176 177
751 *Childericus Rex fit monachus Bertinianus.* 178
Theodericus Childerici filius in monasterio Fontanellensi Clericus efficitur. 179
752 *Pippinus restituit Ecclesiis ablata bona.* 178
753 *Stephanus Papa in Gallias venit.* 178
754 *Pippinus Rex à Stephano Papâ iterum inungitur cum filiis Carolo & Carlomanno.* 178
Childericus Rex moritur monachus. 178
Dagobertus fit Abbas Bertinianus. 178
S. Bonifacius Martyr occumbit. 130
S. GREGORIVS *pronepos* DAGOBERTI II *hactenus S. Bonifacij laborum socius, præest diœcesi Vltraiectinæ.* 130
760 *Heddo Episc. Argentoratensis hoc aut sequenti anno suum testamentum scribit.* 221
768 *Pippinus Rex moritur 24 Septemb.* 178
850 *Milo monachus Elnonensis scriptor floret.* 7
893 *Engiscalcus ab Arnulpho Imp. constitutus Marchio in Oriente siue Austriâ.* 37

900 *Regino Ab. Prumiensis scriptor floret.* 6
1000 *Aimoinus scriptor floret.* 22
1026 *Ædificatur monasterium S. Laurentij Leodij.* 191
1069 *Godefridus Barbatus Dux Lotharingiæ dat monachis Gorziensibus Ecclesiam Sathanacensem* S. DAGOBERTI *Martyris.* 179 180
1093 *Godefridus Bullonius restituit Gorziensibus ecclesiam Sathanacensem* S. DAGOBERTI. 181
1096 *Godefridus iterum confirmat donationem ecclesiæ Sathanacensis* S. DAGOBERTI. 182
Discedit in Terram sanctam 15 August. 183
1149 *Graffto filius Megenhardi Comitis de Spanheim fit monachus Spanheimensis.* 121
1158 *Hillinus Archiep. Treuirensis confirmat Gorziensibus Sathanacensem cellam.* 188
Auctor Vitæ S. DAGOBERTI *Martyris hoc eodem seculo vixit.* 187 188

INDEX HISTORICVS.

Adalgiselus, Adragiselus, Dux palatij S. Sigeberti 40 74
Adalgisus Rex Frisiæ 71 103 106
Adela filia DAGOBERTI II 127 mater Alberici 128 auia S. Gregorij Vltraiectensis 130 Abbatissa exstruit Palatiolum monast. 127
Æga, siue Æganes, Maior-Domus DAGOBERTI I 42, & Chlodouei filij 52 moritur 51
Agilbertus Episc. Saxonum Occident. in Angliâ 205, dein Parisiensis S. Wilfridum ordinat Episcopum Eboracensem, sanctè obit 206
Aigulfus Abbas S. Dionysij 44 45
Aimoini scriptoris ætas 22
Alpais mater Caroli Martelli 160
S. Albericus Episc. Vltraiectinus an ex stirpe DAGOBERTI II 131
S. Amandus Episc. Argentoratensis seculo quarto 32 219 eius ibidem Reliquiæ fuerunt 218
S. Amandus II Episc. Wormatiensis sub DAGOBERTO I, eius illic corpus, & templum dicatum 30
Annorum Christi Æra vulgaris, siue Epocha communis, quando incipiat 3 antiquis non vsitata 4. à quibus primùm introducta 5
Anni Pontificum non adhibiti ab antiquis Francis 11
Anni Regum à Francis solùm adhibiti 10 characteribus historicis firmandi 13
Annus chronicalis Gregorij Turon. à Kalend. Ianuarij incipit 11
S. Ansbertus Ab. Fontanellensis, 213 Archiep. Rotomag. 214 Synodum celebrat 215
Ansegisus pater Pippini Herstalli interimitur 132 floruit sub Sigeberto & Childerico 225
S. Arbogastus extruit Suraburgum monast. 76 86 fit Episcopus Argentinensis 77 filium DAGOBERTI II ad vitam reuocat 83, accipit largas donationes pro Ecclesiâ suâ 84 85 & Schutterano monasterio 86
Arcadij annus Imperij primus 12
Argentoratum antiqua vrbs, Episcopalis ante DAGOBERTVM I 32 217, Episcopi XXXIV ab anno 346 per quatuor secula 219 220 221 error in Catalogis quia Sācti Episcopi primo recensiti. 220
Argentoratensis Ecclesia à DAGOBERTO

BERTO II locupletata 83 84
S. Arnulphus Episc. Metensis quando factus 231 instituit DAGOBERTVM I tum Regem Austrasiæ 23 35 relicto Episcopatu eremum petit 35 moritur, transfertur 232
Ardenna latè sumpta 24
Audebertus Episc. Parisiensis an alius à Leudeberto 202
S. Audoënus Referendarius DAGOBERTI I 43 fit Episc. Rotomagensis 48 Vitam S. Eligij à se scriptam mittit Chrodoberto Episc. Parisiensi 207 monet Gislemarum Maiorem-Domus 139 pacem inter Austrasios & Neustrios conciliat 139 moritur Clippiaci 139 213 214. Rotomagi sepelitur 133 eleuatur 216 sepelit Childericum Regem & Bilichildem vxorem Rotomagi 233 & fortè DAGOBERTVM II 134 impedit aliquamdiu necem S. Ragneberti 134
Austrasiæ ditiones 24 in Aquitaniâ etiam & Prouinciâ 25
Austriæ Marchio Engischalcus 37

S. Babolenus Abb. Fossatensis alius à Papoleno Episcopo Abbate Stabulensi & Malmūdarien. 150 151
Barisiacum donatum S. Amando à Childerico puero Rege & Imnechilde amitâ 69
S. Bathildis vxor Chlodouei II regit cum Chlothario III filio 54 exstruit Kalense monasterium 57 fit sanctimonialis 58 Childericum constituit Regem Austrasiorum 68 an huius filios educarit 168
Bertharius Maior-Domus Theoderici, victus Textricij, occiditur 141
Bilichildis vxor Childerici Regis 73 alia ab Imnechilde 75 occisa sepelitur Rotomagi. 133
Bituricenses Episcopi SS. Sulpitius Seuerus, Eustasius Apollinaris, Austregisilus, Sulpitius Pius 200 201
Bongarsianum scriptum de annis Childeberti Regis discussum 154 155 156
S. Bonifacius Archiep. Moguntinus de conuersione Frisonum & DAGOBERTO II ad Stephanum Papam scribit 103 104 105 S. Gregorium pronepotem DAGOBERTI II sociū laborum assumit, 130 Pippinum Regem inungit 177 Martyr occumbit 178
S. Bonitus Referendarius S. Sigeberti, 63 Iudex Prouinciæ sub Childerico 26 Episc. Aruernorum 63
Brabantiæ Ducum origo fabulosa 249 250
Bruxella vnde forsan dicta 36

Cabilonense Concilium sub Chlodoueo II 202

Carolus Martellus filius Pippini & Alpaidis 160 à Plectrude detentus, liberatur 164 bella gerit contra Chilpericum Regem 170 sibi tradi curat 171 Chlotarium constituit Regem 171 & Theodericum 172 sine Rege imperat 174 S. Willibrordo donat villam Elisle 158
Centunus an Episc. Parisiensis 209
S. Cerannus Episc. Parisiensis an tempore DAGOBERTI III 209
Chadoindus Referendarius, Dux exercitus DAGOBERTI I 45
Charibertus frater DAGOBERI I Rex Aquitaniæ 33 patrinus S. Sigeberti 39 moritur 39
Childeberti Regis Austras. anni characteribus historicis firmati 13 14 regnum Burgundiæ 18 obitus 19
Childebertus filius Theoderici Rex Franc. sub Pippino 154 pater DAGOBERTI III 157
Childebertus filius Grimoaldi Rex Austrasiorum 67 Ecclesiæ Remensi indulget telonia 67 an à Sigeberto adoptatus? 68
Childericus Rex Austras. sub tutelâ Imnechildis amitæ 68 permittit DAGOBERTO II partem regni in Alsatiâ & vltra Rhenum 70 71 72, pacificè cum illo degit 73 donat S. Amando Barisiacum 69 confirmat S. Remaclo donationes Stabulao & Malmundario factas 73 dotat Monasteriū in Valle- S. Gregorij in Alsatiâ 70 Vallem-Galilæam S. Deodato 76 fit etiam Rex Neustriæ & Burgundiæ 79 statuit Maiorem-Domus S. Leodegarium 80, amat S. Lambertum Episc. Traiectensem 237 occiditur 81 filius Chilpericus Rex 81
Childericus vltimus Rex Franc. filius Theoderici 175 abdicato regno monachus Sithiuensis mortuus 178
Chilperici Regis anni characteribus historicis firmati 13 14 16
Chilpericus Daniel dictus filius Childerici Regis in Clericum tonsus Rex Franc. 167 168 170, bella gerit contra Carolum Martellum 170 ab hoc victus 171 moritur 171
Chlodouei I Regis Franc. obitus 13
Chlodoueus II filius DAGOBERTI I & Nanthildis 41 Rex Neustriæ & Burgundiæ fit quinque annos natus 41 48 50, habet ex S. Bathilde vxore tres filios Reges 54 moritur 54
Chlodoueus III Theoderici filius Rex sub Pippino 147 signat diploma pro Stabulao & Malmundario 148
S. Chlodulphus Episcopus Metensis, non Treuirensis 117
Chlotharij I Regis Franc. obitus 13
Chlotharius II infans Rex Franc. 17, fit monarcha 20

filio

filio DAGOBERTO I dat Austrasiam limitatam 21, dein auctiorē 24, Hunc iuuat in bello Saxonico 27 obit 33
Chlotharius III paruulus ab obitu Chlodouei II patris regnat sub tutelâ S. Bathildis matris 54 signat diplomata anno V & VII regni 55 S. Leodegarium constituit Consiliarium 56 creat Episcopum X annis ante suum obitum 57 creditus genuisse Chlodoueū 58 regnat XIV annos 59 moritur 59
Chlotharius à Carolo Martello Rex factus 171
Chrodobertus Episc. Parisiensis tempore Childerici & Theoderici 207
Chrodobertus Dux belli & Referendarius DAGOBERTI I 43
S. Chunibertus Episc. Colonienſis 233
S. Claudius Episc. Vesontionensis quando vixerit 196
Clingense monast. fundatum à DAGOBERTO 126
Corbeienses Abbates primi 168 169

DAGOBERTVS I Rex Austrasiæ limitatæ 23 dein magis auctæ 26 Neustriæ etiam & Burgundiæ 33 relinquit Chariberto fratri partem Aquitaniæ 33, hoc mortuo monarcha 39. institutus à S. Arnulpho Episc. Metensi & B. Pippino Duce 23 dein à S. Chuniberto Episc. Colonienſi 35 ducit vxorem Gomadrudem 24 hac repudiatâ Nanthildem 38 accipit varias concubinas 39 eius bella cùm Saxonibus 27 Slauis eorumque Rege Samone 40 & Vasconibus 47 non fundat Episcopatum Argentoratensem 32 217 dat Wormatiensi Ecclesiæ Laudenburgum 27 signat diploma 28 aliud monasterio S. Maximini 34 S. Amando dat Elnonem 43 dotat monasterium S. Dionysij 43 45 etiam spoliis aliarum ecclesiarum 45 eius iustitia 37 38 S. Sigeberto filio dat Austrasiam 40 inter eum & Chlodoueum filium diuidit regnum 41 varios habuit Maiores-Domus & Referendarios 42 43 aurifabrum S. Eligium 45 moritur & sepelitur in basilicâ S. Dionysij 47. In annis regni & obitus ab variis erratum 7 8 49 anniuersariæ pro eo preces 187 fastis sacris perperàm ab aliquibus adscriptus 186 187
DAGOBERTVS II filius S. Sigeberti & Imnechildis 63 à morte patris Rex appellandus 251 in Clericum tonsus 65 mittitur exul in Hiberniam 66 fingitur mortuus 67 venit ad S. Wilfridum Archiep. Eboracensem 70 redit in Austrasiam, partem regni in Alsatiâ & trans Rhenum accipit 71 Pala-

tia eius in Alsatiâ Kirchemium S. Florentio donatum 87 Senburgum siue Isenburgum, vbi filius eius baptizatus 84 85 86 Argentorati aliud 91, an etiam Heiligenstadij in Thuringiâ 72 excipit S. Wilfridum, offert Episcopatum Strateburgensem 82 fit Rex Austrasiorum 92 bellum gerit contra Theodericum Regem Neustriæ 94 Frisiorum conuersionem ad fidem commendat Episcopo Colonienſi 105. dat diploma Stabulao & Malmundario 96 97, confirmatum ab Imperatoribus & Pontificibus Romanis 100 101 fundat aut dotat monasteria Schutteranum & Suraburgum 86 Haselacense 87 88, Weissenburgense 122 123 an etiam Clingense, Rogiopontanum, Mauri & S. Germani prope Spiram 126. varia donat ecclesiæ Argentoratensi 84 85. habuit filium à S. Arbogasto ad vitam reuocatum 83 filiam à S. Florentio sanatam, fortè Rothildem dictam 87 90, tum S. Irminam Abbatissam & fundatricem monasterij Horreensis apud Treuiros, 107 *& seqq.* tum Adelam matrem Alberici auiam S. Gregorij Vltraiectini, dein fundatrucem & Abbatissam Palatioli 127 *& seqq.* tum denique Regentrudem 129. quo genere mortis, vbi & quando obierit DAGOBERTVS 131, sepelitur Rotomagi 133. num Martyr habitus 185.

DAGOBERTVS III filius Childeberti puer Rex Franc. sub Pippino 157 Theobaldo 164 Raganfrido 165 bella gerit contra Theobaldum 164 Austrasios 165 fœdus init cum Radbodo 164 moritur iuuenis 165

S. DAGOBERTVS Patronus Sathanacensis 179, Martyr habitus non indicatâ stirpe 180 181 182, non est DAGOBERTVS I Rex 185, an DAGOBERTVS II 185, non videtur esse DAGOBERTVS III 187, *& seqq.* habitauit Sathanaci, à filiolo occisus 191 an Dux aliquis 192 Vitæ scriptor impingit 188 *& seqq.*

DAGOBERTVS Abb. Sithiuensis 178

S. Deodatus Niuernensi Episcopatu relicto extruit monasterium Vallem-Galilæam 75

S. Desiderius Episc. Cadurcensis ordinatur 198 moritur ibid.

Dido Episc. Pictauorum mittit DAGOBERTVM II in Hiberniam 66, patruus S. Leodegarij, eius proneptis Bildechildis Regina 66 vltra 50 annos fuit Episcopus 199

S. Dionysij monasterium à DAGOBERTO I dotatum 45 huius monasterij diplomata adulterata. 43 44 Ordo primorum Abbatum confusus 44 45

Diesthemij pars est Disburgum castrum Chlodionis 245 246 247
Dispargum Chlodionis nõ est Duisburgum in Ducatu Cliuiæ 243, sed Diesthemium in Brabantiâ 245 246 247 non est Duseburgum pagus inter Louanium & Bruxellas 248 249 250
S. Drauscius Episc. Suession. 58
Drogo seu Drocus filius Pippini Herstalli Dux Campaniæ 158 moritur 160
Duisburgum oppidum Cliuiæ non est Dispargum Clodionis 243
Duseborch pagus Brabantiæ non est Dispargum Chlodionis 248

Ebroinus Maior-Domus Chlodouei II 53 Chlotharij III 208 Theoderici 80 Francis odiosus pellitur 80 apud Austrasios eleuat in Regem Chlodoueum tãquam Chlotharij III filium 81 fit Maior-Domus Theoderici 82 S. Leodegarium curat capi, effodique oculos 136 occidi 137 insidias struit S. Wilfrido 83 iubet interfici S. Ragnebertum 135 S. Balduinum 95 & forsan S. Lambertum eiici ab Episcopatu 238 vincit prælio Pippinum & Martinum Duces 138 hunc contra fidem datam interimit 138 ac etiam DAGOBERTVM II 184 occiditur 137
S. Eligius aurifaber DAGOBERTI I 45 fit Episc. Nouiomensis 48
Epternacum monast. extructum à S. Willibrordo 112 dotatum à S. Irminâ filiâ DAGOBERTI II 113 Pippino Herstallo 114 & Pippino Rege 176
Erchenoaldus Maior-Domus Chlodouei II 51 obit 53 fundum dedit S. Wandregisilo extruendæ Fotanellæ monast. 212

S. Florentius extruit Haselacum monast. 76 sanat filiam DAGOBERTI II 87 accipit Kirchemium palatium & alias possessiones 87 88 fit Episcopus Argentinensis 90 extruit Scotis cœnobium 91
Fontanella Abbatia extructa à S. Wandregisilo, fundum dante Erchenoaldo 212 eius primi Abbates 212 213 216 non S. Genesius 213
Fredegarius scriptor epocham Regum citiùs inchoat quàm Gregorius Turon. 16 17 DAGOBERTO I coæuus 21 apud Burgundiones degit 25 finit Chronicon cap. 90 anno 4 Chlodouei II 51 deinab aliis auctum 52
Frisiorum conuersio ad fidem à S. Wilfrido cœpta 109 commendatur Episcopo Colonienſi à DAGOBERTO II 105 à S. Willibrordo & S. Bonifacio promota 104 106
S. Genesius Abb. non Fontanellensis,

sis, sed fortè in palatio ita agnominatus, Archiepisc. Lugdunensis 213
Gesta Regum Francorum inter fide dignas historias non admittenda 22 menda notata 49 52 60 243 244
Gislemarus Maior Domus Theoderici 138 139
Gisloaldus Episc. Virdun. 74 76 94
Godefridi Barbati Ducis Lotharingiæ diploma de Sathanacensi Ecclesiâ 180
Godefridi Bullonij diplomata de Sathanacensi Ecclesiâ 181 182 iter in Terram sanctam 183
Godefridus Referendarius DAGOBERTI I 28 43
Goduinus Ab. Stabulensis & Malmundar. impetrat diploma à DAGOBERTO II 96 & à Theoderico filio Chlodouei II 141 eius sanctitas 144
S. Gregorius historicus fit Episc. Turonensis 15 epocham aliquorum Regum præ Fredegario seriùs inchoat 16 17
S. Gregorius pronepos DAGOBERTI II comes S. Bonifacij Episc. Moguntini, præest Sedi Vltraiectinæ 130
Grimoaldus filius B. Pippini Maior-Domus S. Sigeberti 111, Stabulao & Malmundario varia donat 98 DAGOBERTVM II in Hiberniam ablegat 66, Childebertum filium suum creat Regem Austrasiorum 67 interimitur 68
Grimoaldus filius Pippini Herstalli Maior-Domus Childeberti 158 occiditur in basilicâ S. Lamberti 161
Gundoinus Dux Childerici, filiolus è baptismo Ansigisi Ducis eiusque interemptor 73 132
S. Gunthramni Regis anni characteribus historicis firmati 13 14 16 obitus 18
Haselacense S. Florentij monasterium à DAGOBERTO II dotatum 87 & *seqq.*
Heiligenstadium vrbs Eichfeldiæ apud Thuringos an sedes DAGOBERTI II 72
Henricus Referendarius DAGOBERTI I 34 43
Herstallum sedes Principum, Regū, Imperatorum 241 242
S. Hildulphus Numeriano subrogatus Episc. Treuirensis 125, medianum monast. extruit, Abbas I 225 moritur 226 succedit S. Basinus 227
Historia iussu Childebrandi scripta & Fredegario annexa 52
Honorij annus Imperij primus 12
Horreum monast. Treuiris, fundatum à S. Irminâ filiâ DAGOBERTI II 108
Hugo Archiep. Rotomag. Episc. Parisis.

riſſ. & Baiocaſſ. Abb. Fontanell. 166 189

Imnechildis Regina vxor S. Sigeberti 63 pro Childerico nepote paruulo Auſtraſiam regit 68 procurat donari S. Amando Bariſiacum 69 confirmari S. Remaclo donationes Stabulao & Malmundario factas 72 fundari Monaſterium-vallis S. Gregorij in Alſatiâ. 70 regnum Adrhenanum filio DAGOBERTO 70 pro Childerico Monarchâ forſan Auſtraſiam adminiſtrat 80 eius protectionem petit S. Præiectus 81

Indictionibus non vſi antiqui Franci 10

S. Irmina filia DAGOBERTI II 107 111 deſponſata Hermanno Comiti 109 Abbatiſſa Horreenſis fundat monaſterium 108 110 dotat Epternacenſe monaſterium S. Willibrordi 113 ſepelitur Weiſſenburgi 121 dat S. Willibrordo paræciam S. Pauli aliaque 115

Iupilia domicilium Pippini Herſtalli & aliorum 241

Kirchemium palatium DAGOBBRTI II, 72 87 89 91

S. Lambertus Epiſc. Traiectenſis carus Childerico Regi 237 pellitur in exilium, remanet ſub DAGOBERTO II 238 redit iuſſu Pippini 238 239, interimitur & quâ de cauſsâ 239 240 claret miraculis, eccleſia extruitur 239

S. Landericus Epiſc. Pariſienſis 204

Laudemburgum donatum Eccleſiæ Wormatienſi à DAGOBERTO I 27

Lentrudis vxor Ebroini fundat monaſterium S. Mariæ Sueſſione 58

S. Leodegarius Abbas S. Maxentij euocatur ad aulam Chlotharij III 56 ordinatur Epiſc. Auguſtodunenſis 57 fit Maior-Domus Childerici 80 iuſſu Ebroini captus, oculis effoſſis detinetur apud Waymerum 136 in monaſteriis diu cuſtoditur, occiditur 137 transfertur ad monaſterium S. Maxentij 138

Lugdunenſes Archiepiſcopi, Secundinus, Aridius, Theodericus, Gaudericus, Viuentius, Annemundus, Geneſius, Lantbertus 210 211

Malmundarium monaſterium vide Stabulaus.

S. Martini Epiſc. Turon. obitus 13

Martinus Dux ab Ebroino victus, contra fidem datam occiditur 138

Medianum monaſt. à S. Hildulfo extruitur 225 eius Abbates vſque ad XI ſeculum 226 227

Metenſes Epiſcopi Agiulfus, Arnoaldus, Pappolus S. Arnulphus, S. Goëricus, Godo, S. Chlodulphus

phus 231 232
Milonis Elnonensis errores chronici 71
S. Modesta Abbatissa non Horreensis, sed Auendensis 116
Monachus S. Dionysij Gesta DAGOBERTI I scribit 21 non est coæuus 21 Aimoino antiquior 22 quantæ auctoritatis 22 23
Monasterium S. Gregorij in Alsatiâ à Childerico & Imnechilde amitâ fundatum 69
Mons S. Odiliæ prope Ruremundam 242

Nanthildis Regina vxor DAGOBERTI I 38 mater Chlodouei II 41 pro hoc regit, moritur 51
S. Numerianus Archiep. Treuir. 74 76 95 116

S. Papolenus Episcopus, Abbas Stabulensis & Malmundar. 148 defert corpus S. Symmetrij 150 alius à S. Baboleno Abb. Fossatensi 151
Parisienses Episcopi ab an. 620 ad 730. 201 *& seqq.* Synodus Parisiensis anno 614 habita 195
B. Pippinus senior Maior-Domus DAGOBERTI I 34 42 & S. Sigeberti 65
Pippinus Herstallus patri in præfecturâ militiæ succedit 132 Maior-Domus bella gerit contra Ebroinum 133 Gislemarum 138 Bertharium 141 Theodericum Regem subigit 141 constituit Reges Chlodoueum III 147 Childebertum 154 DAGOBERTVM III 157 ex Plectrude habet Drocum & Grimoaldum 158 ex Alpaide Carolum Martellum 161 dat S. Willibrordo possessiones pro Epternaco 110 & Sustera 162 alias Ecclesiæ Virdunensi 159 extruit Floriacum 160, S. Wironi confitetur, dat Montem S. Odiliæ 242 bella gerit contra Radbodum Frisonem, & Alamannos 160 ægrotat 161 moritur 162 Plectrudem non repudiauit 163
Pippinus Breuis sine Rege succedit Carolo patri 175 suscipit Childericum Regem 175 eo abdicato inungitur à S. Bonifacio 177 iterum cum filiis Carolo Magno & Carlomanno à Stephano Papâ 178 diploma signat pro Epternacensibus 176 moritur 178
Plectrudis coniux Pippini Herstalli 158 cum marito confert beneficia S. Willibrordo pro Epternaco 110 & Susterâ 162, ecclesiæ Virdunensi 159 Floriaco monast. 160, adest marito ægro 162 numquàm repudiata 163 vidua degit Coloniæ 170 171

Radbodus Dux aut Rex Frisiæ 106 164 170
Radobertus Maior-Domus Chlodouei

douei II 53
Regentrudis filia DAGOBERTI II 129
Reginonis Abbatis errores chronici, ab aliis aucti 6
Regiopontanum monast. fundatum à DAGOBERTO 126
S. Remaclus Episc. Traiectēsis extruit Stabulaum & Malmundarium 235 dein Abbas diploma à S. Sigeberto Rege impetrat 65 à Childerico 73 à Grimoaldo 98 aliquæ eius reliquiæ Bambergæ 73
Remensis Synodus sub Sonnatio Episcopo habita 195 tempore Chlotharij II 199
Rotomagensis Synodus sub S. Ansberto 215
Rusticus Episc. Cadurcensis quamdiu sederit 197 199.

S. Salaberga Abbatissa extruit monasterium in confiniis Austrasiæ & Burgundiæ 93 præuidet bella inter DAGOBERTVM II & Theodericum 94 transfert monasterium Landunum 94
Samo Rex Sclauorum an ex Belgio oriundus 36 bella gerit cum DAGOBERTO I 39 40
Sathanacum vrbs 179 Gorzienſibus monachis ecclesia data 180 181 182, habet Patronum S. DAGOBERTVM 179 & seqq.
Sclauorum ditiones 36 eorum Rex Samo 36
Scotia pro Hiberniâ sumpta 66
Scutterano monast. dat prædium DAGOBERTVS II 86
Senocus Episc. Elusanus in Concilio Remensi 195 in exilium mittitur 199
Senonagus pagus 36
Sigeberti I Regis Austras. obitus 13
Sigebertus filius Theoderici Regis à Chlothario II interemptus appellandus est Rex Austrasiæ & Burgundiæ 251 252
S. Sigebertus filius DAGOBERTI I, 39 fit Rex Austrasiæ 40 totam obtinet à morte patris 41 ducit Imnechildem vxorem 63 præter alios liberos habet DAGOBERTVM II 63 moritur 65
Sigobrandus Episc. Parisiensis occiditur 207
Sonnatius Episc. Remensis Synodum habet 195 vixit cum Brunechilde Reginâ 200
Spiræ Episc. Iesses seculo 4 alius an. 613, fortè Athanasius 31 Principius 31 an hic Abbas Weissenburgensis 122 125
Stabulaus & Malmundarium monasteria extructa & dedicata 64 diploma Childerici Regis 73 DAGOBERTI II 96 97 Theoderici Regis 141 Chlodouei III 148 Grimoaldi 98 Leonis IX & Gregorij V 100 Ludouici Pij & triū Ottonum 101 Abbates SS. Remaclus 64 Goduinus 96 141 144

Papolenus Episc. 148 alij 101 144
Suraburgum S. Arbogasti monast. à DAGOBERTO II dotatum 86
Sustera monast. possessiones accipit à Pippino & Plectrude 162

Theobaldus siue Theudoaldus filius Grimoaldi Maior-Domus. DAGOBERTI III, ab eo in prælio victus 164.
S. Theodardus Episc. Traiectensis 236 loca pro Stabulao & Malmundario designat iussu Childerici 74 Martyr occumbit 236.
Theodebertus R. Austras. filius Childeberti 19 obit 20
Theodericus I Rex Austras. 172
Theodericus R. Burgundiæ filius Childeberti 19 deuicto Theodeberto fratre Rex Austras. 20 moritur 20
Theodericus filius Chlodouei II fit Rex 79 pellitur 80 recipit regnum 136 fingitur mortuus 136 recipit Ebroinum 137 bella gerit contra DAGOBERTVM II 94 Pippinum & Martinum Duces 133 iubet occidi S. Leodegarium 137, à Pippino victus Textricij, illi subest 141 diploma signat pro Stabulao & Malmundario 141 143 moritur 145, sepelitur Atrebati 146
Theodericus vltimus Rex Franc. succedit Childerico Danieli, an fratri 168 vnde Calensis dictus, 172, non fuit DAGOBERTI III filius 173 174
Theodericus filius Childerici vltimi in monasterio Fontanellensi Clericus effectus. 179
Theoderici Abb. S. Trudonis errores chronici. 8
Theodosius Magnus Imp. an mortuus mense Iulio 12
Traiectenses Episc. SS. Ioannes Agnus, Amandus, Remaclus, Theodardus, Lambertus, Hubertus 224 & seqq.
Treuirenses Archiepiscopi SS. Modoaldus, Numerianus, Hildulphus, Basinus & Lutwinus 223 & seqq. tum intrusus Milo 228
Trithemij errores chronici 10
Tullenses Episcopi Theodefridus, Leudinus, Eborinus 228 229
Turnoaldus Episc. Parisiensis dein Abbas S. Dionysij 209

S. Vedasti Vita 8
Vesontionenses Episcopi SS. Donatus, Claudius, aliique 196 199
S. Vindicianus Episc. Cameracensis 79 138 139 140.
Virdunenses Episcopi S. Agericus, Charimerus, Hermenfridus, Godo, S. Paulus, Gisloaldus, Gerebertus, Armonius 230 231
Vulfoaldus, Maior-Domus Childerici 138

S. Wandregisilus Ab. Fontanellam monast. extruit 213

Warado,

Warado Maior-Domus Theoderici 138 139 141
Waymerus Dux Campaniæ S. Leodegarium detinet captiuum, fit Episcopus, laqueo suspenditur 137
Weissenburgense monast. dotatum à DAGOBERTO II 121 122
S. Wilfridus Archiepisc. Eboracensis ordinatus ab Agilberto Ep. Paris. 206 excipit DAGOBERTVM II 70 ab Episcopatu pellitur 135, declinat insidias Theoderici Regis & Ebroini 82 adit Adalgisum Regem Frisiæ 82 venit ad DAGOBERTVM II, qui ei Episcopatum Strateburgensem offert 70 71 interest Romæ Synodo 136 moritur 206
S. Willibrordus conuertit Frisios 104 extruit Epternacum monast. 112 impetrat possessiones à S. Irminâ 113 115 & Pippino Herstallo 114 liberat peste Horreum 115
Wormatiensis Ecclesia accipit Laudemburgum à DAGOBERTO I 27 Donationis diploma 27 28 29 ab aliis confirmatum 29 30 Wormatienses Episcopi 122

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS

EGo infrascriptus Societatis IESV per Flādro-belgicam Præpositus Prouincialis, potestate ad hoc mihi ab Admodùm Reu^do P. Gosuino Nickel eiusdem Societatis Præposito Generali datâ, facio facultatem Iacobo Meursio, Typographo Antuerpiensi, excudendi librum, cui titulus est: De tribus DAGOBERTIS Francorum Regibus Diatriba Godefridi Henschenij è Societate IESV. Quem librum tres Societatis nostræ Theologi legerunt, & solidum publicoque vtilem censuerunt. In cuius rei fidem nominis mei subscriptione, Officiique mei sigillo has firmaui. Antuerpiæ XVII Octobris CIↃIↃCLIV.

THOMAS DEKENS.

APPROBATIO CENSORIS.

LIbrum R.P. Godefridi Henschenij Societatis Iesu Religiosi, cui titulus est: De tribus DAGOBERTIS Francorum Regibus Diatriba, doctè & solidè concinnatum, vtilem qui peritorum historicorũ manibus teratur, adeoque publico dignissimum censui. Ant. 17 Octobris 1654. In cuius rei testimonium subscripsi sigilloque ordinario muniui

T. VOOCHT S. T. L.
Protonotarius Apostolicus, Canonicus & Archipresbyter Ant. librorum censor.

FACVLTAS REGIA.

HIc Liber vtiliter imprimi potest. Antuerpiæ 24 Octob. 1654.

P. STOCKMANS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

STEMMA GENEALOGICVM
POSTERIORVM REGVM STIRPIS MEROVINGICÆ.

1 DAGOBERTVS I A

mortuus XIX Januarij, anno Christi DC XLIV, à quo procreati fuerunt

Ex Nanthilde — Ex Ragnetrude

2 CHLODOVEVS II — S. SIGEBERTVS III B

à morte patrũ Rex in Neustriâ & Burgundiâ: obijt anno 662. post quem regnauêre filij — *ab anno 638 Rex in Austrasiâ constitutus: non obijt ante 663. Huius filius fuisse demonstratur*

Ex S. Bathilde — Ex Imnichilde

3 CLOTHARIVS III — *à 662 ad 676.*

E CHLODOVEVS creditus Clotharij filius assumitur ab Austrasijs anno 679.

4 D CHILDERICVS II — *Rex in Austrasiâ circa 664. in Neustriâ & Burgundiâ ab an. 676. occisus an. 679. huius filius* — Ex Bilichilde

5 H THEODORICVS III — *anno 676 monasterio incluſus, receptus an. 679. monarcha ab an 687. mortuus an. 693. huius filij* — Ex Dodâ

F DAGOBERTVS IVNIOR II — *à morte patris per Grimoaldum Maiorem-domus in Hiberniam ablegatus, intruso in eius locum Childeberto filio Grimoaldi. His deiectis & Childerico Rege constituto, reuertitur ex Hibernia circa annum 670. regnat in prouincijs Adrhenanis, dein an 680 in reliquâ Austrasiâ, mortuus 687. filij* — Ex Mathilde, aut, liqua alia fuit, secundâ vxore

9 CHILPERICVS II — *Ex Clerico Rex anno 715. mortuus an. 720 ἄπαις.*

6 I CHLODOVEVS III — *paruulus ab anno 693 usq; ad an. 698. ἄπαις.*

7 K CHILDEBERTVS III — *succedit mortuo Fratri vsque ad an. 711. huius filius fuit*

8 L DAGOBERTVS III — *puer & iuuenculus ab an. 711. ad an. 715. ἄπαις.*

MAIORES-DOMVS, ex quibus Reges secundæ stirpis.

B. PIPPINVS DE LANDIS 1 — *ab anno circiter 620 ad 646, 21 Febr. huic nati* — ex B. Ittâ siue Idubergâ

G SIGEBERT. IV — *moritur cum patre vel paulò pòst.*

M CLOTHAR. IV — *anno 718 Rex ad breve tempus.*

10 N THEODORIC. IV — *extinctis Clodouei posteris à 720 ad 737.*

S. Irmina — Ab Horrensis

Adela nupta N — Rotildis — Ragentrudis.

S. Dagobertus Martyr. — *Colitur Satanaci 10 Sept. an filius Theodorici?*

11 O CHILDERICVS vltimus Regum Meroving assum. 743, abdic. 751 obit 754. filius Theodoricus — *in monasterio Fontanellæ attonsus anno 751.*

Albricus.

S. Gregorius — *Administrator Eccl Vltraiect. à 754 ad 776* — N

S. Albricus — *Ep. Vltraiectinus obijt anno. 784 5 Augusti.*

Alij ex eadem matre. — Alij à latronibus occiti.

GENERATIO PRÆTERIT ET GENERATIO ADVENIT. Eccli. 1. 4.

2 GRIMOALDVS — *ob Dagobertum 2 ab legatum, & intrusum illius loco filium occisus circa an. 664.*

S. Gertrudis — *Abbatissa Nivellensis, obijt anno Christi 664. colitur die 17 Martij.*

S. Begga — *nupta Ansigiso Duci filio S. Arnulphi Ep. Metensis obijt 698. colitur 17 Dec.*

C CHILDEBERT. — *Rex Austrasijs obtrusus à patre, cum eo q; deiectus.*

13 PIPPINVS Herstallius — *ab an. 676 ad 714. filij eius.*

Ex Alpaide — Ex Plectrude

5 I CAROLVS MART — *ab an 716 sub Rege: sine Rege ab an. 737. mortuus 741.*

Drogo Dux — *Campanensis dictus, mortuus ἄπαις anno 708.*

Grimoaldus — *ante mortem patris occisus an. 714. ex quo natus.*

14 THEODALDVS — *mortuus ἄπαις an. 715 aut sequenti.*

6 PIPPINVS, REX — *à Zacharia Papâ dictus an. 650, vnctus an 651.*

6 CAROLOMANNVS — *dimisso seculo factus monachus Casinensis.*

Advertat Lector,

Ordinem, quo regnatum est apud Austrasios, signari litteris A, B, C; Regum verò Neustriorum seriem à Dagoberto primo & Maiorum-domus cyfris 1, 2, 3, denotari.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

STEMMA GENEALOGICVM
POSTERIORVM REGVM STIRPIS MEROVINGICÆ.




Th
2316